

Antoni Cobos Fajardo (ed.), Joan Ramon Ferrer, *De pronomibus suiue natura* (1477), Bellaterra, Publicacions de la Universitat Autònoma de Barcelona (Microfitxa), 2000.

<De sui natura >

[1] Ioannes Raimundus Ferrarii scribis regis salutem.

[2] Nil iustius, nil decentius, nil conuenientius, nil magis quasi necessarium, nil denique iocundius esse reor, doctissimi uiri, quam, si in quopiam opusculo quod quis pro rei dignitate, quoad potuerit latinum politumque scripserit, dubitationis aliquid a peritis disertisque uiris super ipsa latinitate fiat, in qua oratores summi magnopere attendendum praecipunt, (2) Terentii, Virgilii, Ciceronis, Salustii, T. Liui nostrorumque iureconsultorum instar id decidere et rem dubiam extricare et luce clariorem efficere, ut qui scripserit, is ab omni nota expiatus sit et hi qui dubitauerint nodum super re ipsa de cetero in scirpo non quaerant, ne eis dici posset quod Pamphilus Terencianus ille dicit in *Andria* (941):

«Nodum in scirpo quaeris».

(3) Nec scribenti nec legenti posset impingi quod Cicero in oratione *Pro Cn. Planco* dicit egregie (62): «Omnis enim huiusmodi artes in his reprehenduntur, qui cum professi sunt satisfacere non possunt, non in his qui abfuisse ab istis studiis confitentur. Virtus, probitas, integritas in candidato¹, non linguae uolubilitas, non ars, non scientia requiri solet.» (4) Et idem Cicero in II^a *Tusculana* (2, 12) per decorum simile attestatur: «Vt enim si grammaticum se professus quispiam barbare loquatur aut si absurde canat is qui haberi se uelit musicum, hoc turpior sit, quod in eo peccet cuius profitetur scientiam. Sic philosophus in uitae ratione peccans hoc turpior est, quod in officio cuius magister esse uult labitur, artemque uitae professus, delinquit in uita.» (5) Haec autem non abhorrent ab eis quae Quintus Mutius Seruius Sulpicio, secundum locum post Ciceronem in causis orandis obtinenti, apud Pomponium, *l. II, § Seruius autem Sulpicius, ff. De origine iur.*, ait (D. 1, 2, 2, 43): «Turpe est patricio et nobili et causas oranti ius, in quo uersatur, ignorare.» (6) Et quae diuinus Aristoteles II^o *Ethicorum* dicit (2, 1105b): «Bene ergo dicitur quod quis iusta agendo iustus fit, et modesta modestus. Non agendo autem nullus ut bonus sit, ne curare quidem uidetur. Sed plerique ita non faciunt, uerum ad uerba disputationemque conuersi, putant se philosophari atque ita uiros bonos fieri, aegrotos imitati, qui uerba medicorum audiunt quidem diligenter, faciunt autem nihil ex his quae sibi praecepta sunt. Vt ergo illorum corporibus non bene erit qui ita curantur, sic nec illorum animis qui ita philosophantur.» (7) Vlpianus in *l. Illicitas, § Sicuti, ff. De offi. praesi.*, peritiam artis professae bene tenendam confirmat, exigit in medicoque sub interminatione pene efflagitat (D. 1, 18, 6): «Sicuti medico imputari euentus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet, praetextu enim humanae fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse medico non debet.» (8) Ergo quicquid dubii super latinitate ipsa summis ab oratoribus tantopere attendenda obiectum fuerit, protinus enucleandum est et ante oculos collocandum.

Sui proprie accipitur reciproce, sed abusue quandoque et saepenumero pro eius, illius ipsiusque superponi.

[3] Sane non nulli ex uobis, in opusculo meo *De triumphorum regionum sumario et de meorum calumniatorum inuectiua*, super hoc pronomine *sui* cum reprehensione quadam dubitarunt utrumne relatiue mere, puta pro *eius*, *ipsius* et *illius*, stare latine possit. Quin potius denique affirmarunt reciproce duntaxat

1 *Glossa*. Id est, in constituto in aliquo magistratu uel dignitatis potestate; nam secundum Seruium candidati uocantur qui in alicuius magistratus aut dignitatis potestate uersantur, a toga candida, quam per id tempus induebant, sunt dicti. Cicero *Pro Murena* (43): «Et in his rebus ipsi, quas te magno et forti animo et agere et dicere uidebant, tibi sum solitus dicere magis te fortem senatorem mihi uideri, quam sapientem candidatum».

stare posse. Et hoc doctissimi Laurentii Vallensis sententia confirmare contendebant. (2) Ego quidem, quod tunc extempore asserui, scilicet *sui* proprie et, ut plurimum, accipi reciproce sed abusive quandoque, quin immo apud auctores summos, maxima auctoritate praestantes, saepenumero pro *eius*, *ipsius illiusque* supponi, Priscianum et alios allegando. Post, id et Prisciani Vallensisque Laurentii regulis et multorum maximorumque auctorum consuetudine, diuersis in locis longe confirmatum inueni.

Prima ratio ab auctoritate Prisciani VIII^o maioris.

[4] Primum nanque Priscianus VIII^o maioris (8, 3), probare studens *sui*, propter naturam suam reciprocam retransitiuam, nominatiuum non habere, scite sic inquit: «Naturalis necessitas exigit quod pronomina, quae sunt tertiae personae primitiua, uocatio casu careant, qui non potest nisi secundae accidere personae. (2) Item quod *sui* non habeat nominatiuum, quia ostendit tertiam personam, uel ipsam et agere simul et pati a se, ut *paenitet illum sui, inuidet sibi, accusat se*, uel et ipsam agere et aliam extrinsecus in eam, ut *rogat ut sui causa facias, petit ut sibi concedas, precatur ut se custodias*. (3) Quod quando fit, id est, quando eadem persona et agit et patitur uel a se uel ab alia, non indiget nominatio casu, sed eo casu indiget, cui solet adiungi uerbum quod actum significat, id est genitiuo uel datiuo uel acusatiuo uel ablatiuo, quos et habet hoc pronomen; ipsum enim uerbum agentis personae nominatiuum in se habet, si enim dicat: *Rogat te ut ad se uenias*, sine dubio intelligis in eo quod dixi, *rogat* simul et *ille*, qui est nominatiuus.»

2^a ratio. Idem Priscianus primo minoris.

[5] Idem Priscianus primo minoris, § *Sui quando est* (17, 133), antedicta referens et confirmans, sic eleganter ait: «*Sui* quando est primitiuum non habet, ut diximus, nominatiuum, quia necesse est ad aliquem alium nominatiuum tertiae personae hoc pronomen referri et quia transitiuorum seruat constructionem, uel enim in se reciprocatur, id est in se ipse aliquid agere ostenditur aut ipse a se pati, in quo necesse est obliquum aliquem poni casum, ut *miseretur sui, dat sibi, accusat se, potitur se*, (2) uel per retransitionem aliquam, ut dictum est, construitur, id est quando ab ipsa in alteram personam fit transitio uel ab illa in illam retransitio, quae similiter obliquum exigit, ut *rogat me seruus, ut sui miserear, petit inimicus, ut sibi prosim, commonet me inimicus, ut se accusem, hortatur me uirtus, ut se potiar*.»

3^a ratio. Quare sui non solum genera sed etiam numeros confundit, et dicit simpliciter relatiuum esse.

[6] Item idem Priscianus XII^o maioris, post principium (12, 2), corroborat antedicta sic inueniens: «Tertia persona, quae est *sui, sibi, se, a se*, non solum genera, sed etiam numeros confundit; nec mirum, nam cum relatiua sit, ex antedecognitione possumus ad quod genus uel numerum refertur scire, quod facit in genere primae et secundae personae ipsa demonstratio et praesentia utriusque.» (2) Et infra (12, 3): «Sunt autem alia eorum demonstratiua, alia relatiua, alia demonstratiua et relatiua, unde certae et notabiles fiunt personae. Et primae quidem et secundae personae pronomina sunt semper demonstratiua -utraque enim, ut dictum est, praesens esse ostenditur persona, et eius, qui loquitur, et illius, ad quem loquitur-, tertiae uero aliae sunt demonstratiuae, ut *hic, iste*, aliae relatiuae, ut *is, sui*, aliae modo demonstratiuae modo relatiuae, ut *ille, ipse*.»

4^a ratio. De possessiuorum natura et relatione sui.

[7] Deinceps, idem in eodem, possessiuorum naturam et relationem *sui* examinans, sic nostram intentionem fulcit (Prisc. 12, 11-12): «Quamuis alia sit persona possidens et alia quae possidetur, et in diuersis personis et transitiuis intelligatur, tamen potest in tertia simul utraque inueniri in diuersis, quod in prima et secunda non potest, ut ipsa habeat et possessorem una et possessionem, nisi figurate dicamus *meus sum* et *tuus es*, hoc est, meae potestatis et tuae, (2) uel pro reciprocis, quae apud Graecos composita sunt: *meus amicus sum*. Terentius in *Phormione* (4, 1, 21):

"Ego meorum solus sum meus."

Nec mirum, cum etiam tertia persona solet figurate primae adiungi (ps.-Verg. *Prol. Aen.* 1, 1):

"Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena".

Et Cicero in III^o *Inuictuarum* (4, 1, 2): "Ego sum ille, patres conscripti, cui non forum, in quo omnis aequitas continetur." (3) Et primae quidem possessiuum personae transit tam ad secundam quam ad

tertiam, ut supradictum est, ut *tu meus es, ille meus est*; secundae quoque possessiuum tam ad primam dicitur quam ad tertiam, ut *ego tuus sum, ille tuus est*; (4) tertiae uero ad primam uel ad secundam transire non potest nisi figurate, ut *suus illius sum* uel *suus illius es filius*, sed ad aliam tertiam: *suus illius iste* uel *suus istius ille*. Et attendendum quod, quomodo *sui, sibi, se, a se*, quod est primitiuum, ad omnes uoces tertiae personae potest esse relatiuum, ut *sui causa fecit iste, ille, ipse et hic et is*; (5) sic *suus*, quod ab eo deriuatur, possessiuum est omnis tertiae personae, ut *suus illius, istius, ipsius, huius, eius*. Illud quoque sciendum, quod *sui* non solum tunc refertur ad tertiam personam, quando ipsa in se agit per reciprocaionem, ut *ille sui miseretur* uel *sibi prodest* uel *se custodit*, sed etiam cum ipsa agit et sic alia in ipsam, id est cum retransitione dicitur, ut Terentius in *Andria* (687):

"Orare iussit era, ut si se amas, ut ad se uenias.»

(6) Consequenter Priscianus (12, 20) docet quae sunt communia et quae non, inter pronomina et nomina possessiua, et ibi, in fine, dicit quod notandum puto: «Possessiua nomina ascendentibus non solent adiungi, ut *Hectoreus pater* non dicimus, *frater* uero uel *seruus* dicimus; pronomina uero adiunguntur, ut *meus pater*.»

5^a ratio. De possessiuorum natura constructioneque.

[8] Idem Priscianus primo minoris, § *Possessiua tamen* (17, 108-110), materiam possessiuorum plenius examinans, adiicit quod notandum oro: «Possessiua tamen, quia duas personas continent, scilicet possessoris et possessionis, necessario tribus constructionibus ordinantur, cum eorum primitiua duas habeant: reciprocam uel sui passam, quam Graeci *idiopaten* uocant, et transitiuam: sui passam, ut *uideo memet*; transitiuam, ut *uideo te uideo illum*. (2) Possessiua uero tribus modis construuntur cum uerbo; uel a possessore in possessionem, ut *uideo meum filium, doces tuum discipulum, docet ille suum auditorem*; a possessione uero in possessorem, ut *paret mihi filius meus, paret tibi tuus cliens, paret illi suus seruus*; (3) extrinsecus, ut *doces tu* uel *docet ille, nostrum filium, doceo*, uel *docet ille, tuum filium, doceo ego*, uel *tu, filium suum*. Sed melius hoc per retransitionem dicitur, ut *rogat me, ut doceam filium suum*. Cum enim *suum* sit relatiuum, exigit ut prius cognoscatur persona possessoris sui, ad quam referatur. (4) Et sciendum quod omnia ista possessiua possessoris quidem personam secundum primitiuum significant, possessio uero est tertiae personae, ut *meus, tuus, suus* quomodo et nomina, quibus adiunguntur, ut *meus pater, meus filius*, excepto uocatio, qui solus in primae personae possessiui inuenitur, cum secundae copulantur personae, ut *mi pater, mea mater* et *o noster Chremes*. (5) Omnia tamen possessiua in genitiuos primitiuorum etiam uerbis sociata possunt resolui, ut *amicum meum moneo* pro *amicum mei*, et *Euandrium filium Turnus interfecit* pro *Euandri filium*, hoc autem interest inter possessiuum pronomen *meus, tuus, suus* et primitiuum, hoc est *mei, tui, sui* quod uoce possessiui et genus et casus et numerus ipsius possessionis ostenditur.»

De possessiuorum constructione.

[9] Multo post, scilicet in II^o minoris, § *Possessiua*, carta 7 (18, 37), idem Priscianus, possessiuorum constructionem docens, adiungit: «Possessiua omnibus suis casibus cum genitiuis aliorum bene coniunguntur, quippe uim eorum ubique habentia, ut *pugna Troiana et Graecorum multis exicio fuit, filius Thelamonius et Hesioneae Teucer fuit, Terentiae et Tullianae filiae misertum est, Hectoreum et Andromachae filium praecipitauit Vlixes, o noster et fratris amice, tua et fratris tui, Herodiane, proficimus arte*.»

6^a ratio. Quod suus proprie sit reciprocum, improprieque retransituum.

[10] Insuper Priscianus XIII^o maioris (13, 22) magis explanat quare *sui* nominatiuum non habeat apertiusque exponens quod proprie sit reciprocum improprieque retransituum, in § *Sui*, dicit hoc modo: «*Sui* hoc solum apud Latinos reciprocum fit in eadem tertia persona, quod Graeci *antanaclaston* uocant, id est, quando ipsa in se actum reflectit persona, ut eadem sit et agens et patiens.» (2) Paulo post (13, 25), docens cur *sui* nominatiuum non habeat, in postrema ratione dicit: «Postremo quod nunquam potest hoc pronomen *sui, sibi, se, a se*, inueniri siue reciprocum siue retransituum ut non intelligatur actus, uel ab ipsa in se uel et ab ipsa in aliam simul et ab alia in ipsam, nisi possessiui uel adiunctis copuletur: tunc enim agere solum, non etiam pati significat, ut *ille miseratur sui seruum* et *sibi similem* et *se sequentem*. (3) Ab ipsa in se, ut Terentius in *Andria* (377):

"Ipsus sibi esse iniurius uideatur",

passiua enim ab aliquo actu fiunt in aliam ab ea et in eandem ab alia, ut idem in eadem (*And.* 401):

"Hanc fidem

sibimet obsecrauit, qui se sciret non deserturum ut darem".

Huiusmodi uero structura nominatiuum habere, quantum pertinet ad transitionem, non potest. (4) Omnis enim genitiuus uel uerbo iungitur ad perfectionem sensus, ut *mei*, uel *illius potior*, uel possessioni, ut *mei seruo loquor*; alii uero casus non ad possessiones, sed ad uerba solum referuntur. Igitur *sui* pronomen uel ad uerbum semper ponitur reciprocum, id est, *sui* passionem significans, uel retransitiuum uel ad possessionem, ut *sui seruo loquitur* uel *sui miseretur* uel *rogat me uidua*, ut *sui miserear*. Nunquam autem absolute quomodo alia, ut *ego loquor*, *tu loqueris* et *ille loquitur*. (5) Cum enim, sicut diximus, necesse sit actum uel a semet ipsa in se uel ab alia in eam intelligi, nunquam potest uerbum uel reciprocari uel transire nisi in obliquos casus. Omnis autem obliquus nominatiuo adiungitur transitionem personae ad personam significans, uel uerbo in se nominatiuum demonstranti, ut *ego te docui*, *ille mihi profuit*, uel *docui te profuisti mihi*. (6) Similiter per reciprocationes: *ego mihi profui*, *tu tibi profuisti*, *ille sibi profuit*. Nominatiuus enim per se positus transitionem non significat, ut *ego scripsi*, una enim eademque persona intelligitur. Nec potest esse nominatiuus, cuius etiam obliquus eidem uerbo possit sine transitione uel reciprocatione adiungi, ut *ego scribo*, *mei* autem *scribo* dicere non possumus. (7) Cum igitur *sibi loquitur* dicimus, in uerbo *loquitur* nominatiuum intelligimus esse. Cum *sibi* uero coniungimus ad eum casum, hoc est datiuum, qui est unus ex obliquis, ferri actum significamus.» (8) Ex his tot tantisque Prisciani auctoritatibus, plusquam exploratum existit hoc pronomen primitiuum *sui*, *sibi*, *se*, *a se*, dupliciter inueniri, puta reciproce et tunc proprie, et retransitiue sed improprie, tum uero per *eius*, *ei*, *eum* uenit exponendum. (9) Quod aperte Petrus Heliae super hoc Prisciani textu, circa finem XIII (Reilly 699), manifestat: «Illud etiam adiungit Priscianus, quod *sui* uel reciproce ponitur, et sic proprie, scilicet ad designandam personam quae patitur, quod non fit nisi per obliquum, uel ponitur retransitiue, sed improprie et tamen ad designandam personam quae patitur, quod iterum non fit nisi per obliquum, (10) ut apud Terentium (*And.* 401):

"Hanc fidem

sibimet obsecrauit, qui se sciret non deserturum ut darem",

id est: "obsecrauit me ut darem ei hanc fidem, qui, -id est *quomodo-*, sciret me non deserturum se", id est, "ut ego non desererem se". (11) Cum enim ait *quomodo sciret me*, facta est retransitio in ipsam per accusatiuum *se* designantem, propter quod non oportebat ut *sui* haberet uocatiuum, cum in nulla sua constructione indigeat nominatiuo.»

7^a ratio. De pronominum relatione et differentia inter pronomina demonstratiua et relatiua.

[11] Praeterea idem Priscianus in primo minoris, § *Accidit*, uersu *Praeterea* (17, 58), de pronominum relatione et differentia inter pronomina demonstratiua et relatiua docens, sic inquit: «Praeterea sola pronomina diuersis uocibus diuersas tertias personas faciunt, cum uerba una uoce ad plures personas pertineant; dicimus enim *scribit Probus* uel *seruus*, uel quicumque hunc actum potest suscipere, non tamen hoc est in pronominibus. (2) Nam relatiua quidem sunt *ipse* uel *is* uel *sui*, quod est primitiuum, demonstratiua uero *hic*, *iste* uel *ille*. Sed interest, quod *ille* spacio longiore intelligitur, ut Terentius in *Eunucho* (*Eun.* 4, 6):

"Videsne tu illum?",

iste propinquiore, ut *iste tuus filius*, (3) *hic* autem non solum de praesente, uerum etiam de absente possumus dicere, ad intellectum referentes demonstrationem, ut praedictum est, ut (*Verg. Aen.* 1, 17)

"Hoc regnum dea gentibus est",

Virgilius in I^o ad absentem Karthaginem rettulit demonstrationem. (4) *Iste* plerumque ad oculorum demonstrationem profertur. Virgilius in VI^o (*Aen.* 6, 37):

"Non hoc ista tibi tempus spectacula poscit";

inueniuntur tamen hoc et de absentibus protulisse auctores, uel de his, quae cerni non possunt, ut supradictum est, Virgilius in X^o (*Aen.* 11, 509-510):

"Sed non sunt omnia, quando
iste animus superat";

(5) Terentius in *Adelphis* (1, 2, 59-60):

"Iste tuus ipse sentiet
postremus",

cum de absente Aeschino dicat. *Ille* quoque, cum est relatiuum, potest tamen de absente quam de praesente accipi, ut (Verg. *Aen.* 7, 110):

"Sic Iuppiter ille monebat"

et

"Tune ille Aeneas?" (*Aen.* 1, 617),

"Ille ego qui quondam gracili modulatus auena." (*pr. Aen.* 1, 1)

(6) Licet tamen per figuram conuersionis, id est, per *apostrophem*, absentis quasi praesentis uti persona secunda loquendo, ut Iuuenalis in II^o (2, 6, 611-612):

"Tune duos una, saeuissima uipera, cena;
tune duos?"».

8^a ratio. De sui et suus reciprocatone retransitioneque.

[12] Idem Priscianus paulo post, scilicet in § *Et substantiua*, uersu *Nos uero* (17, 116), naturam utranque *sui* suusque retransitionem explicans, dicit hoc modo: «Nos uero primitiuis, id est *sui*, *sibi*, *se*, *a se*, uel per reciprocatonem, ut *sui quis potitur*, *sibi indulget*, uel per retransitionem utimur, ut *hortatur me ille ut sui potiar*, *rogat te ille ut sibi indulgeas*, possessiuis uero cum in ea possessorum fit transitio, ut *sui serui miseretur* et *suo seruo prodest* et *suum diligit seruum*. (2) Nec aliter tamen potest supradictum possessiuum tertiae personae construi cum aliis extrinsecis personis nisi per retransitionem, quomodo et primitiuum eius, id est, nisi a possessore eius prius proficiscatur in aliam actus uerbi personam, et sic ab illa rursus ad possessionem tertiae personae, sic et ad se, ut *rogat me ille ut suus seruus ministret mihi* uel *tibi*, *precatur me ille ut sui patris miserear*; *petit te ille ut suo filio prosis*, *obsecrat Cicero Varronem ut suum erudiat filium*. (3) Et notandum quod, cum a tertia ad tertiam personam fit transitio, in dubium uenit ad quam earum pertineat possessio, ut *rogat iste illum, ne suo noceat filio*, ambiguum enim est cuius *suo filio*, an istius, id est, rogantis, an eius, qui rogatur.» (4) Et infra: «Nec non etiam tam nominatiuo quam aliis casibus possessiui licet uti, cum possessorem ostendimus extrinsecus facientem transitionem ad aliquam aliam personam pro sua possessione, ut *ille rogat me ut suus legat apud me filius* et *ut suus doceatur a me filius* et *ut sui miserear filii* et *ut suo donem filio* et *ut suum sequar filium* et *ut suo potiar filio*; (5) cum in possessiuis primae et secundae personae liceat etiam non possidentes constituere sic: *rogat me ille ut tuus legat apud me filius*, uel *rogat te ille ut meus legat apud te filius*.

Discretionis causa uel abundantiae solet cum genitiuo possessoris addi nominatiuus possessiui.

[13] Discretionis quoque causa uel abundantiae solet cum genitiuo possessoris addi nominatiuus possessiui, ut *suus est Homeri mos*, intelligitur enim *proprius*, et *suus Ciceronis filius heres est patris constitutus*, *suus* dicitur ad discretionem illius quod non est *suus*, id est, sub potestate patris legitimi non est. (2) Quod autem *suus* pro uniuscuiusque proprio accipitur, usus confirmat. Virgilius primo *Georgicorum* (1, 57):

"Molles sua thura Sabaei";

Terentius in *Phormione* (2, 4, 14):

"Quot homines, tot sententiae, suus cuique mos est."

(3) Sin autem in possessionem a possessore fit transitio, obliquis possessiui utimur, ut *Cicero miseretur sui filii*, *praebet suo filio*, *aspicit suum filium*, *potitur suo filia*, sin extrinsecus fiat transitio in possessionem tertiae personae, sufficit genitiuo uti ipsius possessoris, ut *misereor filii Ciceronis dono filio Ciceronis*, *accuso filium Ciceronis*, *potior filio Ciceronis*. (4) Licet tamen addere etiam possessiui casus consequentes uel discretionis causa uel abundantiae, ut *egeo ingenii sui Ciceronis*, *benedico ingenio suo Ciceronis* et similia. (5) Illud quoque sciendum est, cum in omnibus aliis possessiuis liceat genitiuo primitiui pro omni eorum uti casu, quod ostendimus, in hoc quoque possessiui pronomine tertiae personae, quomodo in aliis tunc utimur, cum ipse possessor aliquid agat in possessionem suam et cum in aliam personam ostendatur transitum facere pro sua possessione, ut *amat ille filium suum* et *amat sui filium*, *petit a me ut prosim suo filio* et *petit ut prosim sui filio*. (6) Si ipsa tamen possessio in possessorem faciat transitionem, non est congruum uti genitiuo primitiui pro possessiui, qui uim habet compositi Graeci, ut *Ciceroni redditur suus filius*, non satis commode per hoc dicitur *Ciceroni redditur sui filius*. (7) «Et (Prisc. 17, 124) sciendum est quod primitiuum eius tam singulare quam plurale licet in possessiui et unum et plures possessores eius

intelligere pro significatione sui genitui ad possessorem pertinentis, ut *suus filius illius* et *seruus suus illorum*. (8) Nec mirum, si per retransitionem Romani utuntur his pronomibus, id est *sui, sibi, se, a se* et eius possessio, ut ostendimus. Nec non si ad coniunctionem *sui* etiam in aliquas personas aliquid agat, ut *ille uocat me ad se, ducit te secum, trahit omnia in se*, uel cum transitum facit in aliquos sibi coniunctos, ut *ille miseretur eorum, qui secum uiuunt uel sibi parentium, secum degentium; dat sibi fauentibus, incusat secum certantes, inuidet se indigentibus*. (9) Et uidentur haec omnia possessiuorum uim habere et similia. Nec incongrue huiusmodi constructionem habuisse, cum Attici quoque solebant compositis in huiusmodi constructionibus uti». (10) «Quod autem (Prisc. 17, 126) etiam genituo uel datiuo, qui loco sit genitui possessoris, bene addatur possessiuum, ut supra diximus, non solum nostrorum sed etiam antiquorum usus comprobatur. Virgilius in *Bucolicis* (3, 62-63):

"Et me Phoebus amat, Phoebus sua semper apud me
munera sunt, lauri et suaue rubens iacinctus";

Terentius in *Adelphis* (958):

"Suo sibi hunc gladio iugulo".

(11) Plato in *Thimeo* (18b) –Graecum- et, quod mirum est, hoc ipsum *εαυτο* primae et secundae personae adiungitur apud illos –Graecum-, pro quo nos dicimus *meum proprium, tuum proprium, suum proprium illius*, ut non putetur abundare *suum* sed abundabilem discretionem significare. (12) Illud quoque notandum, quod tertiae personae possessiuum ad innumerabiles, ut diximus, refertur personas possessorum, quippe cum ad omnia tertiae personae pronomina et omnia nomina et participia potest referri, ut *suus illius, suus istius, ipsius, huius, eius*, et *suus Virgilii uersus, sua discentis diligentia*, (13) primae autem personae possessiuae et secundae non egent per se prolata adiunctione alicuius genitui, cum uim genitui finiti in se habeant, quomodo nec *suus* eget genitui sui primitiui, quem in se possidet, sed extrinsecus alterius uocis propter multitudinem tertiarum personarum, ad quas necessario et primitiuum *sui* et ipsius possessiuum refertur, utraque sunt relatiua. (14) Nam *meus, tuus* nisi ad suorum primitiuorum, quae sunt demonstratiua, non intelliguntur genituios. Itaque extrinsecus genituius non egent.»

De differentia inter genituum primitiui et possessiui *mei, tui, sui*.

[14] «Quaeritur quae sit differentia inter genituum primitiui et possessiui *mei, tui, sui*, et quantum ad uocem quidem nulla, quantum ad sensum uero haec est differentia, quod genituius primitiui simplicem possessionem significat, possessiui uero duplicem. Si enim dicam *mei est seruus* pro *meus est seruus*, demonstratio simplicem significat possessionem, possessiui uero duplicem dicendo *seruus mei filii, mei* quidem in *filio, filii* autem in *seruo*. (2) Frequenter tamen sine nomine licet huiusmodi possessiua proferre, et maxime cum de dominis uel coniugibus uel amicis mentio fit, ut Terentius in *Andria* (763):

"Cuius hic puerum apposuisti? Vestri. Cuius Nostrum?"

Intelligitur enim *domini* uel *heri* uel *filii*.

(3) Idem in eadem (*And.* 635):

"Cur tibi meam?"

subauditur *coniugem* uel *sponsam*. Idem in *Eunucho* (664):

"O mea tu",

subauditur *coniunx* uel *uxor*. Et omnibus maritis mos est de uxoribus suis dicere *mea* et inuicem uxoribus de maritis suis *meus* per defectionem nominis.» (4) Ad hoc afirmandum et super *suus* T. Liuius, libro I^o, capitulo XXI^o *Ab urbe condita* (1, 57, 7), potest adduci sic inuens: «Incidit de uxoribus mentio, suam quisque laudare probat miris modis, inde certamine accenso Collatinus negat uerbis opus esse, paucis id quidem horis posse sciri quando tum ceteris praestet Lucretia sua», scilicet uxor. De hoc textus est expressus infra, inter T. Liuii exempla, uersu *In capitulo XXI*, in carta 215 (cf. infra 3, 15, 14-ss.).

De *inter* et *inuicem* constructione mutua.

[15] Idem Priscianus in § *Praterea*, uersu *Nostrum uero*, de constructione mutua transitua docens, sic ait: «Nostrum uero frequentur, antecedente *inter*, acusatius utuntur omnium personarum pluralibus, ut Terentius in *Adelphis* (827-28):

"Video amare inter se."

Idem in eodem (*Ad.* 271):

"Age, inepte, quasi nunc non norimus inter nos."

Virgilius in X^o (Aen. 11, 121):

"Conuersique oculis inter se atque ora tenebant".

(2) Saepe tamen explanandi causa additur *inui cem*. Nec solum in tertia, sed in prima, ut ostendimus, fit et secunda persona plurali quippe quae possunt diuersas inter se colligere personas ut *ego et tu inuicem amamus nosmet ipsos inter nos, tu et ille inuicem amatis inter uos*. Aliis autem casibus sine *inter*, quod acusatium exigit, utimur addentes *inui cem*, ut *ego et tu nostri inuicem miseremur, tu et ille uobis inuicem indulgetis, iste et ille inuicem se patiuntur*. (3) Quod si non addatur *inui cem*, dubitatio fit, utrum per sui passionem singulae in se agant, aut altera in alteram, ut si dicam *ille et iste se amant*.» (4) Ideo mirum esse non debet si Vlpianus in *l. I*, in principio, *ff. De uer. ob.*, sine *inter* post *se inuicem* addiderit (D. 45, 1, 1): «Stipulatio non potest confici nisi utroque loquente et ideo neque mutus neque surdus neque infans stipulationem contra habere possunt nec absens quidem quem exaudire se inuicem debent».

[16] Ex his tot tamque praeclaris Prisciani textibus huius pronominis primitiui *sui* possessiuorumque, praesertim *suus*, naturam quiuis perfacile potest perspicere et quod *sui* proprie sit reciprocum et improprie retransituum, et tunc per *eius* potest exponi ut Petrus Heliae, circa finem XIII, *sibimet* pro *ei* exposuit.

9^a ratio. Laurentius Vallensis ad Ioannem Tortellum Aretinum de sui suisque reciprocatione.

[17] Laurentius Vallensis in libello *De reciprocatione sui suisque*, compositio ad Ioannem Tortellum Aretinum, cubicularium apostolicum, pleraque ex his refert et confirmat. Nec abs re non dixi *omnia* sed *pleraque*. Nam in capitulo II^o (Valla *De rec.* 2), ubi docet non esse tria genera sed reciprocationem sufficere, dicit hoc modo: (2) «Haec praefatus, ad rem ipsam uenio: eius tria Priscianus (17, 108) genera facit, unum quod uocat *reciprocum*, cum hoc pronomen in se ipsum inflectitur, ut *Cato amat se* alterum quod uocat ipse *transitionem*, cum per deriuatium eius loquimur, ut *Cato amat suum filium* siue *Catonem amat suus filius*, tertium quod uocat *retransitionem*, cum accedit alterum uerbum, uel in primitiuo sic: *Cato precatur me ut sui miserear* uel in deriuatio, sic: *Cato precatur me ut sui filii miserear*.» (3) Consequenter Prisciani uerba ad litteram subiicit, quae, cum et multo plura supra retulerim, ne idem repetatur, praetereo. Denique adicit: «Vt fortasse sicut expeditius ita satius fuerit haec omnia appellare *reciprocationem*, quod propemodum Priscianus (17, 137) ipse confitetur cum longe post inquit: (4) "Non aliter tamen hoc fit, nisi prius a tertia persona uerbum aliquod, ut diximus, proficiscatur ad aliam extrinsecus personam, et sic ab illa per retransitionem ad eam reciprocetur aliud uerbum, ut *rogat me ille ut ad se ueniam, petit te ut sibi des, hortatur milites imperator ut se largo potiantur*", quapropter hoc, tanquam generali uocabulo, non ausim dicere solo uti possumus.»

Quid proprie sit reciprocum.

[18] Ego tamen, potius Prisciani diuisioni, tanquam doctiori, quam Laurentii simplicitati singularitatis assentiendum putarem, reciprocum enim est cum una eademque persona respectu unius eiusdemque uerbi et agit et patitur, ut *Ioannes miseretur sui, obedit sibi, amat se, aude se*, hoc autem nec de transitiuo nec de retransitiuo dici potest. (2) In transitiuo nanque personae sunt diuersae, ut *Ioannes seruum suum amat*, in retransitiuo uero licet una eademque persona agat patiatque, non tamen respectu eiusdem uerbi, ita quod agat in se et a se ipsa patiat, ut in reciproco uero fit, sed respectu diuersorum uerborum diuersaeque personae, ut, in primitiuo, *Ioannes precatur me, ut sui miserear*, uel in deriuatio, *Ioannes precatur me, ut sui serui miserear*. Inter haec autem longa est differentia et ideo diuersas species possunt debentque construere.

[19] Deinde expositor antiquus et modernus Petrusque Heliae et omnis alii magni grammatici has species sunt secuti, sed et id cum ratione magna, igitur et nos ipsas debemus amplecti. (2) Et licet reciprocatio dicta sit, «Quod sicut reciprocatur spiritus cum recipitur, et unda uicissim litus alluens et Eurypus ad pristinum subinde cursum rediens reciprocus est, ita haec pronomina, alterum primitiuum, alterum deriuatium, ad id unde prodierant reuertantur», ut ipse Laurentius attestatur (Valla *De rec.* 3). Tamen reciprocatio fit hic proprie quando una et eadem persona respectu eiusdem actus uerbi in se reflectitur, quod in aliis duabus speciebus inueniri nequit.

X^a ratio. De soloecismo in suus et sui.

[20] Posthac Laurentius in capitulo III^o docet quomodo soloecismus in *sui* et *suus* admittatur et postquam soloecismum in *suus*, secundum Priscianum in primo minoris disseruit (Valla *De rec.* 4; cf. Prisc. 17, 114): «Vt si dicatur *suus seruus ministrat mihi*, uel *tibi*» adiicit «Quod prope modum Priscianus, praeceptor grammatices, hoc personae *suus* est abusus, cum potius *ipsius* dicendum esset.» (2) Consequenter de primitiui soloecismo reprehendit omisso, ut «*ego dixi sibi, non est sibi curae res publica, tu fuisti secum*, pro eo quod est *ego dixi ei, non est ei curae res publica, tu fuisti cum eo*. (3) Sed forte Priscianus praetermittit eo, quod suis temporibus nunquam, aut uix unquam, in *sui* peccaretur, cum, et hoc tempore, minus quam in *suus* peccetur, sicut enim datiuo et ablatiuo postposita praepositione *cum*, secundum praedicta exempla et quandoque forte genitiuo, ut *feci amore sui*, uulgus uti solet, ita non uti accusatiuo et ablatiuo consueuit, nullus enim *uidi se, prego ad se, indigeo se, redeo a se* est solitus dicere.» (4) At uero per omnes casus in *suus* peccatur «per nominatiuum, quale est Prisciani exemplum, et in apposito, ut *hoc est opus suum*, per obliquos, ut *ego sum amicus patris sui, tu non places filio suo, legisti librum suum, penes hunc ad pedes suos libris suis fruor, in ortis suis cenauimus* pro *eius* siue *ipsius* siue *illius*.»

11^a ratio. quattuor causas quibus sui et suus pro eius, ipsius et illius.

Prima causa in auctoritate Prisciani.

[21] Consequenter Laurentius (*De rec.* 5) quattuor causas subiicit quibus *sui* et *suus* pro *eius* uel *ipsius* uel *illius* abutamur. Prima est auctoritate Virgilii (*Aen.* 4, 632-33):

«"Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichaei.
Nanque suam patria antiqua cinis ater habebat"

quod haud dubie illi simile est, *seruus suus ministrat mihi siue seruuum suum uidet*. (2) «Vbi etsi abest ad quod referatur *suus*, id tamen subauditur, nemo enim dicat *suus* nisi de eo, cuius habita sit mentio, ut si roganti *ubi est Titus* respondeas *nescio, seruus suus est hic*, in quo si soloecismus est, et in uersu Virgiliano sit necesse est, sin in hoc non erit, falso ait Priscianus in illo esse. (3) Quid igitur ad hoc dicemus? si Virgilium damnamus, tantum uirum et poetarum Latinorum longe principem, quis ferat et non eius auctoritatem qualibet rationem potiore existimet? Sin Priscianum iam omnis huius ars subuertatur, nullamque aut superuacuam maximorum auctorum fuisse dicamus obseruationem oportet.» (4) Haec Laurentius, sed quicquid Laurentius dicat, Virgilianum uersum poeticae licentiae et operis imperfectione ascribens, huiusmodi locutiones per suppletionem possessoris alicuius uel per antedictorum resumptionem ubi de possessore fit mentio et per Virgilii aliorumque auctorum frequentiam, satis et sine soloecismo saluari possunt, saltem cum soloecismo excusabili, id est, loquendi improprietate in construendo, quae potest excusari ut a summis auctoribus frequentata, id quod infra in XVI^a ratione plenius disseretur. (5) Et ideo subiicit hic Laurentius: «Est autem huic Virgiliano, de quo disputamus, Ouidianum illud simile (*Ov. Her.* 1, 113):

"Respice Laerten et iam sua lumina condas."

Secunda causa in librorum corruptione.

[22] Secunda causa secundum Laurentium (*De rec.* 6) est «quod libri non nullis in locis culpa uel hominum uel temporum sint corrupti, ut apud Ciceronem *In Salustium* (*In Sall.* 3): "Quod si uita istius memoriam uicit, aliam, patres conscripti, non ex ratione, sed ex moribus suis spectare debetis", cum hic *ex moribus ipsius*, secundum regulam in quarta carta ab eo Laurentio datam, esse deberet. (2) Illud autem unum est, quod quaecunq; ratione, *sui* et *suus* pro *eius*, *ipsius* uel *illius* et econtrario reperiuntur collocari.

Tertia causa.

[23] Et licet «hae duae causae (cf. Valla *De rec.* 7) citra nostram forte culpam sint, tamen totidem nobis assignari possint quae duabus ex superioribus quippiam alimesumunt. Prior, sed tertia in ordine est, quando non praeuiderimus, quadam ambiguitate decepti, quo pronomen, de quo agitur, referatur, ut apud Virgilium (*Aen.* 1, 461):

"En Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi".»

Nam *sua* ad *Priamus* uel *laudi* referri potest. Enimuero Seruius hic exponit «*sua*, id est *congrua*, ut "strueremque suis altaria donis laudi", id est uirtuti, ut primam merui quia laude coronam». (2) «Et apud Quintilianum (9, 4, 2): "Itaque accedam in plerisque Ciceroni atque in his ero quae indubita sunt breuiter in quibusdam paulum fortasse dissentiam. Nam cum etiam iudicium meum ostendam, suum tamen legentibus relinquam", quasi id *suum* de Cicerone, non de legentibus dictum sit», de legentibus autem debet intelligi uel, instar Seruii, pro congruo, conuenienti proprie exponi. (3) «Et alibi, dum idem Quintilianus (5, 11) cum Ciceronis exemplum contraxerit subiicit: "Quae quia erant longiora, non suis uerbis exposui", *suis* acciperent plerique pro *Ciceronis*, cum pro propriis accipiendum sit, ut illud *exponam alterationem nostram suo ordine ac suis uerbis*. (4) Idem quoque (Ps. Quint. *Decl.* 10, 1) et in primitiuo apud eundem contingit: "Nam et de filio nihil aliud perdiderat misera nisi dies, nec iam timebat nec ille quo fruebatur mori posset, planctibus lacrimisque pene improbe dixerim, parcius utebatur, nec sibi permitebat dolor lugere uenientem", nam id *sibi ad dolorem* refertur, non ad *matrem*. (5) Permulta huiusmodi sunt exempla, in quibus ambiguitas est errandi causa, nobis ex similitudine quadam uacillantibus. Adeo ut *suis* siue in constructione passiuua, scilicet *adolescentem castigari placet suis*, siue in actiua ponatur, scilicet *adolescentem castigem placet suis*, bene stare possit, nam et in passiuam resoluti possit actiua constructio. (6) Illud etiam Quintiliani intelligas (*Decl.* 6, 20): "Tu prima docuisti sibi non parcere potius quam plus flere", ubi subaudias illum hoc modo: *Tu docuisti illum sibi non parcere* seu *suis*»

De quarta et principali abusus causa.

[24] In quarta causa, Laurentius apertius intentionem nostram ante oculos collocat sic exponens (*De rec.* 8): «Posterior, quae eadem quarta est causa, qui uidemus indifferens esse an quis dicat, *omnes optant, quod sibi utile est*, an *quod ipsis*, siue *eis*, *utile est*; *ille repetit quod suum*, siue *quod ipsius*, *est*; *quisque uult quod sibi*, uel *quod ei* siue *ipsi*, *expedit*, *prodest*, *conducit*, *placet*. (2) Idque apud summos quosque scriptores. Cicero *Pro Marcello* (*Marc.* 30): "Multi dubitant, quid optimum esset, multi quid sibi expediret." Idem *Pro Ligario* (*Lig.* 4): "Legatus in pace profectus in prouincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret." Idem in *Philippicis* (11, 15): "Dicit enim si quis eorum, qui prius se rogati essent, grauiorem sententiam dixisset in eam se iturum". Quintilianus in *Milite Mariano* (*Decl.* 3, 2): "Neque ignorauit quae mouerent eum pericula". (3) Dixi de *is*, dicam de *ipse* addamque de *ille*. Cicero *Pro Rabirio* (*Rab. Post.* 1): "Nec enim cuiquam eius consilium uehementius quam ipsi displicet." Et in *Officiorum* III° (3, 10): "Vas factus est aliter ut si ille non reuertisset moriendum esset ipsi". Et in eodem: "Qui erracomiti monstrat uiam, quasi de suo lumine lumen accendat facit, ut nihilominus ipsi luceat cum illi accenderit." (4) Idem *Pro Marcello* (*Marc.* 4): "Est uero fortunatus cuius ex salute non minor paene ad omnes quam ad illum uentura sit laetitia, peruenerit." Quintilianus in *Pariete palmato* (*Decl.* 1, 1): "Quapropter non petit, ut illum miserum putetis, nisi et innocens fuerit"; et in *Milite Mariano* (*Decl.* 3, 2): "Affirmo tibi, Cai Mari, non sic nuper repugnasset, si illum tribunus uoluisset occidere." (5) Adiciam unum de libris ecclesiasticis exemplum (*Luc.* 1, 73-75), de quibus postea locuturus sum: "Iusiurandum, quod iurauit ad Abraam patrem nostrum daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso."»

Aliquando uidere licet ubi desideres eum, ibi esse se, et rursus, ubi se, ibi eum

[25] «Aliquando uidere licet ubi desideres *eum*, ibi esse *se*, et rursus, ubi *se* ibi *eum*. Cicero *Pro Ligario* (*Lig.* 8): "Atque hoc propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cum de se eadem diceret, ignosceret." Et per amphibologiam libro *Officiorum* primo (1, 28, 99): "Nam negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti." Nonne licebat hic dicere *quid de eo quisque sentiat*? Vt in illo eiusdem *Pro L. Sylla*? (*Sull.* 89) "Quid est huic quod eum in hac uita teneat?" (2) E diuerso alibi (*Cic. Lig.* 12, 36): "Hic igitur Titus Ligarius qui tum nihil aliud egit (neque enim hoc diuinabat), nisi ut tu eum studiosum et bonum uirum iudicares, nunc a te supplex fratris salutem petit," ubi ego citius dixissem *se*, quam in illo eiusdem *Ad Atticum* (6, 1, 2): "Sic quaerulas litteras miserat, quod quaedam a se constituta rescinderem", cum non minus belle diceretur *quod quaedam ab eo*, siue *ab ipso*.

De inter se et inter eos et inter ipsos.

»[26] Hanc eandem indifferentiam agnoscas interuentu praepositionis, sed magis in *ipse* quam in *is*. Quintilianus in V° *Institutionum* (5, 2, 2): "Nec exemplum libenter, quod in se recidat, facit." Idem in

VI° (6, 3, 32): "Quanquam aliqui reperiuntur, qui ne id quidem, quod in ipsos recidere possit, euitent". (2) Saepe duo haec coniuncta reperies, uel nulla uel aliqua interueniente praepositione et praecipue *inter*, ut idem in X° (10, 2, 23): "Cum sit diuersa non causarum modo inter se ipsas condicio, sed in singulis etiam partibus causae, siue sit alia leuiter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia monendi gratia dicenda, quorum omnium dissimilis atque diuersa inter se ratio est." »

Nihil interest an se an ipsos utaris cum antecedit uel genitiuus uel datiuus uel ablatiuus.

[27] «Huius praepositionis et illa proprietas est, quod nihil interest an *se* an *ipsos* utaris cum antecedit uel genitiuus, ut in proximis exemplis et in hoc Tulliano (Cic. *Brut.* 85, 1): "Nec mihi ceterorum iudicio uidetur solum, sed etiam ipsorum inter ipsos concessu ita tributum fuisse", uel datiuus uel ablatiuus, ut apud eundem Quintilianum (8, 6, 1): "Circa quem inexplicabilis et grammaticis inter ipsos et philosophis pugna est"; et iterum (10, 2, 15): "Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua uiciosa et a doctis inter ipsos mutuo reprehensa". (2) Secus quotiens antecedit nominatiuus accusatiuusue, ut apud Ciceronem (*Off.* 1, 28, 98): "Vt enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos et delectat, hoc quod inter se omnes partes quodam lepore consentiunt"; et iterum (*Off.* 3, 10, 45): "Demonem et Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse", ut ego non ausim dicere *inter ipsos*. (3) Nam illud ab hoc genere diuersum est, quale apud Quintilianum (12, 10, 20): "Nemo igitur dubitauerit longe esse optimum genus Atticorum in quo, ut est aliquid inter ipsos commune, id est iudicium acre tersumque ita ingeniorum plurimae formae." »

De *suus* exempla.

»[28] Hactenus exempla de *sui*, nunc de *suus* proferam. Cicero *Officiorum* (1, 30, 108), unde modo protuli exempla, libro primo: "In primisque uersutum et callidum factum Solonis, qui quo tutior eius uita esset, furere se simulauit"; et in eodem (1, 33, 121): "Ea tamen praestare debet, quae erunt in ipsius potestate"; rursus in 3° (3, 25, 95): "Agamemnon, cum deuouisset quod in suo regno pulcherrimum natum esset"; et in eodem (3, 14, 58): "Piscatores ad se conuocauit et ab eis petiuit ut ante suos ortulos postridie piscarentur"; (2) inusitatus reperitur in eodem (3, 23, 89): "Quid dominus nauis eripietne suum? Minime. Non plusquam si nauigantem in alto eiicere de nauis uelit, quia sua sit"; nec minus inusitate *Pro L. Sylla* (*Sull.* 15), si modo sincera scriptura est: "Si sibi *suus* pudor et dignitas non prodesset nullum auxilium requisit." (3) Vtrunque probatur ex altero illic quidem licuisse dicere *quo tutior sua uita* et *quae erunt in sua potestate*, hic autem pro *in ipsius regno* et *ante ipsius ortulos* et *quia eius illa sit* et *si ei suus pudor*. Ceterum in his testimoniis duplicia fuere uerba, quid ubi sunt singula? (4) Nempe idem fieri uidetur nec differre utrum dicas *cepi columbam cum pullis suis* an *cum pullis eius*; *inueni turturem in nido suo* an *in nido eius*; *expuli leonem ex antro eius* an *ex antro suo*; *necauit lupam et catulos suos* an *et catulos eius*, siue *ipsius*; *tuetur nos deus propter suam clementiam* an *propter eius, ipsiusue, clementiam*, et similia.

Regula quando *suus* et quando *eius*, *ipsius* et *illius* uti licet.

»[29] Ego uero ita sentio, quando interuenit copula, non licere uti *suus*, quia tunc nulla est reciprocitatio. Ideoque non *catulos suos* dicendum, sed *eius*. In ceteris, si substantiuum pronomini respicit ad suppositum, *suus* utique dicendum, sin an appositum, saepius *eius* dici siue *ipsius* siue *illius*. (2) Ad suppositum, ut *tuetur nos deus propter clementiam suam*, non *propter eius*, quemadmodum dicimus; *tuetur nos deus sua bonitate*, non *eius bonitate*; *indamauit me ante domum suam*, non autem *ipsius*, quemadmodum dicimus; *iecit me domo sua*, non *domo ipsius* siue *eius*. (3) Ad appositum, *amamus deum propter bonitatem eius*; *allocutus sum hominem ante domum eius*, libentius dixerim quam *suam*; item, *cepi columbam cum pullis eius*; *inueni turturem in nido eius*; *expuli leonem ex antro eius*, nec tamen ratio obstat, quin *ex suo* dicatur ac ne auctoritas quidem. Cicero *De republica* libro VI° (6, 9): "Itaque ego illum de suo regno, ille me de uestra republica percontatus est". Terentius in *Adelphis* (958):

"Suo sibi hunc gladio iugulo."

(4) Nisi siquid addatur appposito adiectiuum uerbumue, ad quod fieri reciprocitatio debeat. Quod genus est: *inueni leonem iratum ac saeuioem ob amissam praedam suam*; *uideo columbam tristem in periculo pullorum suorum*; *nosti illum minus suo quam suorum casu perterritum*; *sentio hominem ambulantem per domum suam*, non per *domum eius*; item, *scio illum dolere fortunam suam*, et in primitiuo quoque, *opinor hunc agnoscere contemptum sui*.

(5) Illud transeo neminem posse errare quando *suus* est substantiuum, ut *eius* aut *ipsius* aut *illius* utatur, ut *comperi illum cum suis* siue *inter suos*. Quin etiam uix erratur, quando accipitur pro *proprio*, ut *de hac re dixi suo loco*, non *ipsius* et *referam haec omnia suis locis ac temporibus*, non *eorum*.»

12^a ratio. Cur eius, illius ipsiusque utamur pro suis, ut multi econtrario.

[30] Praeterea Laurentius, declarans in capitulo sequenti, scilicet IX^o, cur *eius*, *ipsius*, *illius* abutamur pro *suus*, nostrum confirmat propositum: «Atque ex his quidem -inquit- quae commemorari non modo factum est ut multi pro *eius* siue *ipsius* siue *illius* uterentur *suus*, uerum etiam e contrario, pro hoc illis abuterentur, de quo soloecismo nullam facit Priscianus mentionem, qualia sunt mea proxima exempla, ut *uideo columbam tristem in periculo pullorum eius*, uel *columba luget pullos eius*. (2) Et quale Donati grammatici, ut grammaticos potissimum suae artis admoneam, si modo Donati grammatici libellus est *De uita Virgilii*, in quo alterius quoque generis uicia deprendes. Ait enim, loquens de Virgilio: "Voluit etiam eius ossa Neapolim transferri, ubi diu et suauiissime uixerat." (3) Ac paulo post (193): "Translata igitur iussu Augusti eius ossa, prout statuerat, Neapolim fuere sepulta, uia Puteolana, intra lapidem secundum, suoque sepulchro id distichon, quod fecerat, inscriptum est." Et iterum: "Item rogauit, quo pacto quis altam felicitate eius fortunam seruare posset." Superius uero: "Quod cum magister stabuli Augusto recitasset, duplicari sibi in mercedem panes iussit." Et alibi aliquotiens *sibi* uel *suo* pro *eius*, et *eius* pro *suo* uel *sibi* (cf. Donat. *Verg.* 137; 133; 193; 24; 35, 13; 63, 4; 16, 14; 72, 19; 77, 52). (4) Verum e graeca quoque figura non minimum esse accessit huic errori, id quod me pollicitus sum ostensurum. Nam cum pro uno liceat dicere tum *suus*, tum *eius*, tum *ipsius*, tum *illius*, non tamen quodlibet semper, tardus aut indiligens interpres, quomodo hoc, quomodo illud competat, non dispicit. (5) Quo uicio ne interpretationes quidem ecclesiasticorum librorum omnes uacant, quorum quotidiana lectitatio nos decipit, ut ipsos interpretes decepit lingua peregrina. Sed nos indigni reprehensione, qui maioribus credimus, illi uero digni, qui maioribus suis credere noluerunt. Quo magis ex his praecipue uiciosa a me sunt exempla proferenda, ut errorem nostrum, ubi fontem eius agnouerimus, deuitemus. (6) Cum tamen ex hoc contumelia nec ulla fiat libris ecclesiasticis, Hebraea tantum aut Graeca lingua loquentibus, nescio an honor potius habeatur, nec magna eorum traductoribus, si modo dignitatis horum ratio habenda est, qui incerti sunt uel ignoti, uel inter se dissidentes. Hoc mihi dissimulandum non fuit, uel ob id, ne quis mihi istorum obiicerit auctoritatem. (7) In *Psalms* igitur, quos Hieronymus certe non transtulit, ubi pleraque huiusmodi recte translata sunt, illud non recte: "A gloria eorum expulsi", pro *a gloria sua*; et iterum: "Qui exacerunt ut gladium linguas eorum", pro *linguas suas*; et iterum: "Saturati sunt filiis et dimiserunt reliquias paruulis eorum", pro *suis*; et iterum: "Perierunt propter iniquitatem eorum", pro *suam*. Neque abnuerim in quibusdam codicibus recte legi *sua*, *suas*, *suam*, sed ego rem, non hominem noto. Nec ibi: "Et abstulit sicut oues populum eius", quia melius legitur *suum*; (8) sicut ibi quoque: "Sicut locutus est per os sanctorum suorum, qui a saeculo sunt prophetarum eius"; alibi lego: "Per os sanctorum suorum qui a saeculo sunt prophetarum eius"; alibi melius: "Per os sanctorum prophetarum suorum, qui a saeculo sunt." In his omnibus graece est genitiuus, ille pluralis, hic singularis. (9) Aliquando etsi *eius* seu *ipsius* seu *illius* tolerari potest, tamen latinus est *suus*, ut in eisdem *Psalms*: "Neque descendet cum eo gloria eius", pro *sua*, tametsi aliqui non legunt *eius*; et iterum: "Desiderium cordis eius dedisti ei, et uoluntate labiorum eius non fraudasti eum", pro *sui* et *suorum*; et iterum: "Brachium eorum non saluauit eos", pro *suum*; (10) et iterum: "Benedicite domino, omnes angeli eius, benedicite domino, omnes uirtutes eius, benedicite domino, omnia opera eius", pro *sui*, *suae*, *sua* (cf. *Psalm.* 48, 18; 20, 3; 43, 4; 102, 22); (11) quale est illud in *Apocalypsi* (14, 13): "Opera enim illorum sequuntur illos", quod ego citius dixissem *opera enim sua*. (12) Huius tamen generis non est, si interuenit uerbum ad hunc modum, quod *pater non amauit te* siue *patrem non amasse te*, *probat ipsius testamentum*, potius quam *suum*, ut est apud Quintilianum, libro I^o (1, 7, 20): "Quomodo ipsum et Virgilium quoque scripsisse manus eorum docent." (12) Nam in illo apud *Psalms* (103, 27): "Omnia a te expectant, ut des illis cibum in tempore, dante te, illis colligent", *illis* pro *sibi* positum est, de secundo *illis* magis loquor, quod *sibi* quoque translatum inuenio.

De suis pro eius

»[31] *Suis* autem pro *eius*, quod superioris generis uicium est, illic: "Ad nihilum deductus est in conspectu suo malignus"; et iterum: "Si autem dereliquerunt filii sui legem meam", quanquam lego in

quibusdam editionibus utrobique *eius*; et iterum: "Anima mea exultabit in domino, et delectabitur super salutari suo", nam id *suo* ad *dominum* refertur non ad *animam*. (2) At ibi nescias an uarietate gauisus interpretis an consilio mutauerit: "Quoniam secundum altitudinem coeli a terra corroborauit misericordiam suam super timentes se"; "Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se"; et in eodem *Psalmo*, paulo post: "Misericordia ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum"; et "Iusticia illius super filios filiorum, his qui seruant testamentum eius"; et "Memores sunt mandatorum ipsius". Et infra, huius generis ille locus est: "Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt", quod si dixisset *aduersus eos, qui ipsos angustiauerunt*, obscuritatem deuitasset, ut taceam quod magis ad uerbum etiam transtulisset (cf. *Psalm.* 14, 4; 88, 31; 34, 9; 102, 11; 102, 13; 102, 17; 102, 18; 102, 18; Sap. 5, 1). »

13^a ratio. Quomodo amphibologia sui et suus euitetur.

[32] Ad haec Laurentius in capitulo X^o, quomodo scilicet amphibologia *sui* et *suus* euitetur docens, quo et nostrum confirmat propositum, subiicit: «Enimvero deuitatur obscuritas haec amphibologiae per aliquod fere trium pronominum, *is, ipse, ille*, quae cum aliis duobus, *sui* et *suus*, modo pugnant, modo conueniunt ritu Troianorum puerorum, ut est apud Virgilium (*Aen.* 5, 586-87):

"Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula uertunt
infensi, facta pariter, nunc pace feruntur."

(2) Mutauit modo *se* in *ipsos*, mutabo alio exemplo in *es*, ut fecit interpretis superius in *Psalmo*, si tamen mutasse dicendus est. Cicero in *Bruto* (*Brut.* 101): "Is soceri instituto, quem quia coaptatus in augurum collegium non erat non admodum diligebat, praesertim cum ille Quintum Scaeuolam sibi minorem natu generum praetulisset." (3) Nam id *sibi*, ut Quintiliani uerbis utar (*Quint.* 7, 9): "Qui eum notat, et ad socerum referri et ad Formium potest. At si dixisset *ei*, de Phormio utique locutus intelligeretur, aut si *illi* aut si *ipsi* sit", praesertim cum *is* Quintum Scaeuolam *illi*. Et ego quidem deuitare cupio amphibologiam. (4) At Priscianus, cuius hoc erat officii, cum eam notat, non modo id non facit, uerum etiam in ipsam incidit paulo post, dum ait (*Prisc.* 17, 124): "Vel cum transitum facit in aliquos sibi coniunctos, ut *ille miseretur eorum, qui secum uiuunt*, uel *sibi parentium*, uel *secum degentium*; *dat sibi fauentibus*; *incusat secum certantes*, et *inuidet se indigentibus*". (5) Nam id *sibi* et id *se*, cum tam pluralis sit numerum quam singularis, quo referatur ambiguum est. Sed haec amphibologia in primitiuo est, illa, quam ipse notat, in deriuatiuo, *rogat iste illum, ne suo noceat filio*. (4) Quasi uero nihil ad rem faceret, illud de Cicerone et Varrone, aliud ambigui protulit exemplum».

Suus est illius seruuset similia secundum Laurentium male dici.

[33] «In quo etiam exponendo, quod in illo non fecisset, errauit, ut ad aliam quaestionem transeamus, errauit enim inquit: *Cuius filio suo, istius an illius*, cuiusmodi est quod superius dixit, *doceo ego, uel tu, suum illius seruum*, et iterum: *Suus est illius seruus*, et iterum: *Suus illius, istius, ipsius hominis* (2) Inque alia, longe post, materia: "Nisi substantiuus uel uocatiuus uerbis adiunguntur, sicut et nomina, *meus es filius, meus uocatur seruus, tuus nominor parens, tuus est pater, suus illius sum filius, suus illius es filius, suus illius est filius*." (3) Et aliquanto post non semel, quae uerba mox subiungam, quorum Prisciani exemplorum unum est, *suus Virgilio uersus*, simile illi *utrum Platonis an Aristotelis suum*, quod sermonis genus, quantum memini, nusquam inueni. Eoque mallet aliena prompsisset exempla, is qui hoc tradit, quam sua finxisset. Ad hoc probandum ea quoque facient, quae de coniuncta huic materia disputabimus». (4) «Nam uerba, quae modo promisi me summissurum, utrique atque adeo multiplici quaestioni seruiant, et iccirco prolixius recitentur, quae sunt haec: "Discretionis quoque causa uel abundantiae, solet cum genitiuo possessoris addi nominatiuus possessiui, ut *suus est Homeri mos*, intelligitur enim *proprius*" et cetera.» (5) Ita quod Laurentius textum Prisciani primo minoris collocatum, in § *Et substantiua*, uersu *Discretionis quoque causa*, totum refert fere per unam cartam, usque ad § *Quaeritur quae sit differentia*, quem iam supra, in 8^a ratione, scilicet, in § *Idem Priscianus paulo post*, scilicet in § *Et substantiua*, in uersu *Discretionis quoque causa uel abundantiae* usque ad uersum *Quaeritur quae sit differentia*, ad litteram recitauit (cf. *Valla De rec.* 11-12; *Prisc.* 17, 117; 127; 109; 110; 114; 121-129).

Verba Laurentii contra Prisciani textum "propter multitudinem tertiarum personarum".

[34] Cui quidem textui tam extenso Prisciani, post illa uerba «sed extrinsecus alterius uocis propter multitudinem tertiarum personarum», adiicit Laurentius, satagens ostendere *suus* neque discretionis neque abundantiae causa addi posse: «Praeter rem fuit hoc notare, quod ad multas atque ideo innumerabiles personas tertias, cum tantum una sit, sed huius personae innumerabiles uoces, primum aliud est *suus illius filius*, et cetera, aliud *suus est Homeri*, uel *Homero, mos* et *suus cuique mos*. (2) Et apud Catullum (22, 20):

"Suus cuique innatus est error",

quia hic accipitur *suus* pro *proprius*, illic minime, deinde nulla illic reciprocatio, quae hic est quippe intercedente uerbo inter *suus* et genitium datiuumue sic: (3) *Homeri*, uel *Homero, est mos suus*, siue *mos suus est Homero*; *cuique est mos suus*, siue *mos suus est cuique*; *cuique est innatus suus error*, siue *suus error est innatus cuique*; *Phoebi sunt semper lauri sua munera apud me*, siue *lauri sua munera sunt semper Phoebos apud me*. (4) De quo genere construendi, posterius quid sentiam apparebit, nam illud exemplum (Verg. *Georg.* 1, 57)

"India mittit ebur molles sua thura Sabaei",

inutile exemplum est, in quo non accipitur *sua* pro *propria*, sed quomodo, cum dicimus *mittunt suos legatos, suos milites, suas naues, sua agmina*, quo etiam modo accipitur in Terentiano exemplo (*Ad.* 958)

"Suo sibi hunc gladio iugulo",

quod *sibi* nullo, nisi festiuitatis gratia, additum est. (5) Nec ita cohaeret cum hoc ablatiuo datiuus *sui* primitiuus, ut fit in illis genitiuis, *suus illius, suus Aristotidis Platonisue*, nullo pacto separabilibus. Nam si separe iam alterum genus loquendi erit, de quo non loquitur Priscianus hoc loco, *suusque* significabit quod *proprius*. (6) Separo autem interiecto uerbo hoc modo: *suus est illius mos, sua est istius natura, suus est Aristotelis modus, suum Platonis genus, suus est Virgilii sonus, sua est discentis diligentia, sua docentis*, et sine uerbo substantiuo: *suus tenet dolor patrem, suus matrem*. (7) Nec procul ab hoc abest Virgilianum illud (*Georg.* 4, 190):

"Fessosque sopor suus occupat artus."

Quapropter non est eadem, ut Prisciano placet, ratio dicendi *suus est Homeri*, uel *Homero, mos*, usitatissimum loquendi genus, et *suus Ciceronis filius heres est patris institutus*, quod dici ratio uetuit. (8) Nam quod ait ad discretionem illius qui, secundum legem, non est *suus*, id est, sub potestate patris legitimi non est, nulla ratio est nisi et doceat sic locutos esse uel legum latores uel principes Senatuumue aut populum uel praetores uel iureconsultos, qui etiam diffinitum reliquerunt, qui *sui* dicantur uel *heredes* uel *serui*, nunquam hoc pronomen cum genitiuis huius copulantes; (9) et, ut rationem quoque addam, *suus heres* ad eum cuius quis heres est refertur, sicut *suus seruus* ad eum cuius quis est seruus, ut si dicam *nemo potest suum instituere heredem seruum suum* et *sua tutela* ad illum refertur cuius tutela est, nec aliter dicitur *suus* ad discretionem alterius, quam *meus, tuus, alienus*. (10) Cum ergo nihil agat *suus* si apponatur ad *Ciceronis filius*, palam est redundare, non aliter quam in altero exemplo, *egeo ingenii sui Ciceronis, benedico ingenio suo Ciceronis*, ubi *suus* redundare non diffitetur Priscianus, sed pro *redundantia dixit abundantia*. Sane abundantia aliquid interdum causae habet, redundantia nihil. Nam dictionem habet, non dico absurdam, sed ociosam ac similem membro quod, integro corpori, ueluti sextus in manu digitus agnascitur. (11) Quam ipse quoque, qui ait, tacite reformidat longe post, cum de uocatiuis pronominum agit, inquires (Prisc. 17, 201): "Itaque quamuis ad ipsam rerum naturam recte uideatur posse dici *o sue fili Euandri* et *o sua uxor Euandri* ut si dicam *Euandri fili* et *Euandria uxor*, cum in hoc duae tertiae intelligantur personae, possessoris et possessionis, usus tamen deficit." (12) Cur usus, Prisciane, deficit? Nempe quia deficit ratio, atque ipsa rerum natura quoniam *sue* et redundat, et reciprocationem, quod ipsius proprium est, perdit. At tu uis addi etiam *proprium*, nec tamen tunc redundare siue abundare *suum*, sed indubitabilem significare discretionem. (13) Harum rerum cum ratio tecum non faceret, si nulla uspiam reperiebas exempla, tradere praecepta non debuisti, si reperiebas, et illa debuisti proferre, quod fecisses, opinor, si reperisses.»

Suus uocatiuo non caret.

[35] «Quod (Valla *De rec.* 13) si usus, et uitandae redundantiae et conseruandae reciprocationis causa, respuit talem uocatiuum *o sue fili Euandri*, quid faciet neutra obstante istarum? Profecto uocatiuum oportet admittat, cum natura, Prisciano quoque testante, non refragetur. At quo pacto

reperiemus, nec redundantem et reciprocum uocatiuum? id uero iam superius ostendimus. (2) Si enim illic *benedicite domino angeli sui*, id *angeli* uocatiui est casus, perinde ac si diceretur *o angeli sui*, et quale esset *defendite, adiuuate, protegite Caesarem uita perinclinantem, o amici sui, o milites sui, o ciues sui* quid ni uocatiuum *suus* habere dicendum est? quod si nulla huiusmodi reperiantur exempla, secus est, nec mirum, quia raro sit opus hoc sermone et ratio tam ualida est, ut ipsa possimus esse contenti.»

Non modo per nominatiuum, quale est *illud uidet illum suus filius*, sed etiam per alios casus loqui licet.

[36] «Sicut (Valla *De rec.* 14) in ea quaestione, quae reliqua est, ex Prisciani uerbis (17, 119-120) sic paulo ante dicentis: "Est tamen aliqua differentia in possessio tertiae personae, cuius nominatiuo tunc utimur quando ad suum possessorem possessio transitionem facit, et non ad alium, ut *indiget illius*, uel *Ciceronis, suus filius, uidet illum*, uel *Ciceronem, suus filius*; similiter passiuam, quae a possessore solo fiunt, nominatiuum possessoris exigunt: *amatur ab illo*, uel *a Cicerone, suus filius; bene meretur de illo*, uel *de Cicerone, suus filius*.(2) Necnon tam nominatiuo, quam aliis casibus possessiui licet uti, cum possessorem ostendimus extrinsecus facientem transitionem ad aliquam aliam personam pro sua possessione, ut *rogat me ille ut suus legat apud me filius*, et *ut suus doceatur a me filius*, et *ut sui miserear filii*, et *ut suo donem filia*, et *ut suum sequar filium*, et *ut suo potiar filia*." (3) Nam cur ad nominatiuum coartat hanc regulam? An non hoc per acusatiuum eiusdem generis est?: *piget Ciceronis suum filium, rumor est Caesari insidiari familiares suos, constat suum esse Homeri morem, fugere Pompeium sua interest, fratris iam pigere incipit uxorem suam* (4) Nam per acusatiuum latinius dici quam per nominatiuum sic: *fratris iam incipit uxor sua pigere*, alibi docuimus. Cui simile est illud Quintiliani in *Milite Mariano (Decl. 3, 2)*: "Nec si sit uitae cupidissimus, poenitere eum facti sui potest."»

14^a ratio. Quando differenter et quando indifferenter his pronomibus, sui, suus, eius ipsiusque utamur.

[37] Posthac Laurentius, explanans quasdam praeceptorum reliquias, quando scilicet indifferenter quando differenter his pronomibus *sui, suus, eius ipsiusque* utamur, adiicit hoc modo (*De rec.* 15): «Harum porro duarum Prisciani regularum, quas nunc ad litteram subieci, in posteriore licet pro *suus* uti *eius* siue *ipsius*, id est genitiuo, ut *rogat me ille ut eius legat apud me filius*, et *ut ipsius doceatur a me filius*. (2) In priore non item, quod superius quoque significauimus, et enim, ut diuersa promam claritatis gratia exempla, non ausim dicere *Pythagoram uenerabuntur discipuli eius*, sed *sui*, ut apud Valerium Martialem (5, 10, 8):

"Et sua riserunt saecula Maeonidem."

(3) Nam id, quod in principio negaui, sub specie transitionis cadere, *sua quaeque delectant, sua cuiusque sunt, suum cuique reddatur*, iam ordinauimus non posse mutare pronomen, quare nunc substantiuum est; illud autem ancipitis usus est, quod in posterum consulto reseruauimus quotiens per ablatiuum loquimur absolutum, ut *beatus ille est tot se*, uel *eum, iuuantibus, potest iam secure uiuere, tanta sibi*, uel *ei, accedente hereditate*. Quo in genere non nunquam usu uenit, ut per *se*, non per *eum* uel *ipsum*, utique loquendum sit.»

15^a ratio. Quemadmodum in construendo sui suusque in is, ipse, ille resoluantur.

[38] Denique Laurentius (Valla *De rec.* 15), ponens ante oculos quemadmodum in construendo *sui suusque* in *is, ipse, ille* resoluatur, intentionem nostram apertiore facit: «Et quod mireris -inquit- ab ipso se incipiendum, ut apud Quintilianum *Institutionum* primo (1, 3): "Tradito sibi puero, docendi peritus ingenium eius in primis naturamque perspiciat", non enim dixerim *tradito ei puero, sibi* in *ei* mutato, at *eius* et *puero* permutatis sic: *docendi peritus in primis ingenium pueri naturamque perspiciat, tradito sibi eo*. (2) Sed magis hoc in *suus* permittitur quam in *is*, ob id, quod sequi uult illud in constructione, ideo resolui in quodlibet trium de quibus disseruimus pronominum *is, ipse, ille*, tanquam affinitatis quodam aut consanguinitatis gradu propinquorum, ut apud Senecam (*Th.* 311):

"Saepe in magistrum scelera redierunt sua",

quod ita construendum erit resoluendumque: *scelera magistri saepe redierunt in eum*, siue *in ipsum* siue *in illum*. (3) Non nunquam resolui non potest, non modo quando est substantiuum, ut *suum cuique soluatur, sua cuiusque sunt*, nisi longa et perinde dura circumfusione utamur, *quod cuiusque est, ei soluatur, quae cuiusque*

sunt, ipsius sunt, sed etiam quando accipitur pro proprius, ut suus est Homeri mos, sunt et sua dona parenti, sunt hic etiam sua praemia laudi; nisi hic circumitione utamur mos Homeri est eius, dona parentis sunt ipsi, praemia laudis sunt illi, quod mihi non probatur. (4) Est autem et alterum per haec ipsa tria pronomina resolutionis genus, ut si dicas saepe in magistrum scelera redierunt ipsius, uel eius uel illius, quale est illud superius ex Quintiliano (1, 7, 20): "Quomodo ipsum et Virgilium scripsisse manus eorum docent." Resoluamus enim: saepe scelera magistri rediere in ipsum, uel in eum, uel in illum, item, quomodo manus et ipsius et Virgilii docent eos scripsisse. (5) Sed hoc transeo et cetera, non tam natia materiae quam adoptiua. Nam Oracius (hic Ferrarius confundit adueruium "gratius" et auctorem "Horatium"): "Satis melius facere scriptorem existimo, qui non nihil, quam si nihil omittit, ne saltem plus magnitudini uoluminis quam utilitati legentium studuisse uideatur."»

[39] Subinde Laurentius in capitulo finali operis (*De rec. Peroratio*), perorationem et conclusionem ponit inquiring: «Hoc habui, Ioannes, de pronominum *sui* et *suis* reciprocatio quod dicerem. Cuius quaestionis tantum abest ut timeam, ne quis tenuitatem facilitatemque insectetur, ut uerear, ne magnitudine potius ac difficultate deterreatur, est quidem, sicut inicio dixi, labyrinthica.»

16^a ratio in omnibus coniunctis ab ipso Laurentio Vallensi dictis fundata.

[40] Haec sunt quae super *sui suisque* Laurentius Vallensis, bonae latinitatis peritissimus, scripserit, quae si perspicue considerata fuerint, nostrum propositum sine dubitatione reddunt. Nam Laurentius ipse capitulo III^o docet, ut in X^a ratione dixi, quo pacto soloecismus in *sui suisque* possit admitti.

De regulis super *suis* a Laurentio excerptis, quas limito.

[41] Verum, si quispiam obiceret soloecismum uicium quoddam et improprietatem dicere, respondebo Priscianum ipsum, Grammatices praeceptorem egregium summaque auctoritate praestantem, multis in locis, secundum antedicta, huiusmodi improprietatem approbare et ea praeclarissimos auctores fuisse usos, adeo ut apud eos regulas super *suis*, ab eo Laurentio assignatas, saepenumero inueniam fallere. (2) Ex ipso nanque quarto capitulo regula decerpi ualet, de quo X^a ratione scripsi: quod, si possessio sit in supposito uel de supposito non dicatur ad possessorem, non per *suis* sed per *eius*, *ipsius* uel *illius* fiat relatio. Exemplum primi: *Ioannes diligit me et filius eius*, non *suis*. Exemplum secundi: *ego diligo Ioannem et misereor filii*, uel *filio*, *eius*, non *sui* uel *suo*; *amo Ioannem et filium eius*, non *suum*; *fruo Ioanne et filio eius*, non *suo*.

[42] Haec quidem regula apud auctores saepe fallit. Cicero nanque III^o *Officiorum* dicit (3, 89): "Quid dominus nauis eripietne suum? Minime. Non plusquam si nauigantem in alto eiicere de nauis uelit, quia sua sit", hic enim *sua*, non *eius* uel *ipsius* uel *illius* posuit.

[43] T. Liuius libro II^o *Ab urbe condita*, capitulo XV (2, 61), de Appio Claudio loquens, sic inquit: «Adeo, quod constantia sua et tribunos obstupefecit et plebem, ut diem ipsi sua uoluntate impedirent, trahi, deinde rem sinerent», hic etiam *sua* pro *eius* collocat. (2) Idem Liuius libro XXVI *Ab urbe condita*, VI^o autem de bello punico II^o, multo post principium, scilicet in § *Reus ab se*, de Cn. Fuluius dicit hoc modo: «Quod ante solum se restante prodesse rei publicae nisi mors sua remedio publicis cladibus futura esse potuisset?», hic enim *sua*, non *eius* scripsit.

[44] Deinde Pomponius *De ori. iur.*, l. II, § *Et cum placuisset*, confirmat antedicta sic inquit (D. 1, 2, 2): «Vt ipsi et factio sua rem publicam perpetuo occupatam retinerent nimia ac aspera dominatione eo re publicam produxerunt, ut exercitus a re publica secederet», hic quoque *sua*, non *eorum* inuenitur.

[45] Item Caius iurisconsultus, l. *Patre furioso*, ff. *De his qui sunt sui uel alieni iur.*, eleganter ait, *sua* quoque pro *ipsius* ponendo (D. 1, 6, 8): «Sed et si furore agente eo uxor sua concipiat, uidendum est, an in potestate eius nascatur filius».

[46] Hieronymus quoque IX^o *Geneseos* (9, 24) id obseruat: «Euigilans autem Noe ex uino cum didicisset quae fecerat ei filius suus minor ait», et enim hic *suis* non *eius* scripsit.

[47] Nec Vlpianus omittendus est praedicta confirmans in l. I, in principio, ff. *De dolo* (D. 4, 3, 1): «Nec uel illis malicia sua sit lucrosa uel istis simpliciter damnosa», *sua* quippe non *eorum* dicit.

[48] Cicero praeterea, quoad obliquos, III^o *Officiorum* dicit (3, 14, 58): «Piscatores ad se conuocauit et ab eis petiuit ut ante suos ortulos postridie piscarentur», et enim hic non *eius*, sed *suos* ait.

[49] Idem in eodem (3, 25, 95): «Quid Agamemnon, cum deuouisset quod in suo regno pulcherrimum natum esset»; et idem *De republica* libro VI^o (6, 9): «Itaque ego illum de suo regno, ille me de uestra republica percontatus est», utrobique profecto *suo*, non *eius* uel *ipsius* apponuit.

[50] Demum L. Florus, auctor politissimus, sic ait in II^o (1, 22): «Sed tot rerum prosperarum fiducia plenus, Populus Romanus aestimabat asperrimum hostem in sua Africa debellare», hic quoque *sua*, non *eius* adiicitur.

[51] Nec Virgilius III^o *Aeneidos* ommittendus est (*Aen.* 4, 632-33):

«Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichaei,
nanque suam patria antiqua cinis ater habebat»;

hic enim dicere potuisset *eius enim patria antiqua cinis ater habebat*; et in primo potest adduci (*Aen.* 1, 461):

«En Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi»,

dici nanque potuit *sunt hic etiam eius praemia laudi*, nisi *sua*, secundum Seruium, per *congrua* saltem per *propria*, exposuerimus.

[52] His Ouidianus illud annumerandum puto (*Her.* 1, 113):

«Respice Laertem, et iam sua lumina condas»"

[53] Multa alia exempla tam ex poetis quam ab aliis praeclaris auctoribus possem adducere, quae breuitatis causa praetereo. Itaque non immerito diximus hanc regulam apud auctores saepenumero non seruari, quae tamen ut plurimum obseruatur.

[54] Et licet innumeros textus in aliis auctoribus compererim, tamen nunc duntaxat aliquos nostrorum iurisconsultorum, bonae latinitatis obseruantissimorum, commemorari placet. (2) Pomponius enim *l. II, § Deinde Sextus Caecilius, De ori. iur.*, ait: «Deinde Sextus Caecilius et frater eius Publius Helius». Et infra: «Sextum Helium omnis laudauit et extat illius liber»; et paulo post: «Deinde Marcus Cato, princeps Porciae familiae, cuius et libri extant, sed et plurimi filii eius.» (3) Item Caius, libro *Institutionum* primo, secundum uero Iustinianum, *l. II, ff. De adopt.*, in fine: «Hoc uero proprium est eius adoptionis, quae per principem fit, quod is qui liberos in potestate si se ad arrogandum dederit, non solum ipse potestati arrogatoris subiicitur, sed etiam liberi eius in eiusdem fiunt potestate, tanquam nepotes.» (4) Deinde Ulpianus in *l. Si arrogator*, eodem titulo: «Ceterum si fidei eius committat, ut quandoque restituat non oportet admitti fideicommissum quia hoc non iudici eius ad eum peruenit, sed principali prouidentia». (5) Martianus in *l. In tantum, ff. De rerum diui.*, in fine principii: «Et si alius in eodem loco edificauerit, eius fiet.» (6) Ulpianus in *l. Emancipatum § I, De senator*: «Si quis conceptus quidem fit, antequam pater eius senatu moueatur.» Idem Ulpianus in *l. I, ff. De praetor. offi., Apud filium familias*: «Praetorem pater potest eius manumittere». Idem *De offi. praefec. aug., l. unica*: «Praefectus Aegypti non prius deponit praefecturam -et infra- quam Alexandriam ingressus sit successor eius.» (7) Idem *l. I, § I, Quod quisque iur. in alter. sta. ipse eo. iur. uta.*: «Qui magistratum potestatemue habebit, siquid in aliquem noui iuris statuit, ipse quandoque aduersario eius postulante eodem iure uti debet»; et in *§ Siquis apud eum*, ibi: «eius aduersario postulante»; et in *l. Siquis iniquum*, in principio, *ff. eodem*, ibi: «Si pro postulatione eius hoc uenerit.» (8) Scaeuola in *l. Emptor*, circa finem, *De pac.*: «ut neque ipse neque filii eius eo nomine conueniri possint.» (9) Triphonius in *l. Filius a patre, § I, ff. De liber. et posthu.*, ibi: «an rumpetur.» (10) Scaeuola in *l. Gallus, § Si eius qui filium*, ibi: «quia pater ipsius non recte institutus esset.» (11) Ulpianus *De iniusto et irr. te., l. Si quis filio exheredata, § Irritum*, ibi: «testamentum eius irritum fiet»; et in *§ Eius qui, uersu Proinde*, ibi: «Proinde si ante decesserit, testamentum eius ualebit»; et ibi: «quod si qui taedio uitae -et infra- in ea causa sunt, ut testamenta eorum ualeant». Et infra: «irritum sit eius testamentum»; et in *§ penultimo de hoc multa exempla potes colligere*, ibi: «an testamentum eius irritum fiat»; et ibi: «testamentum eius non erit irritum». (12) Et idem in *l. Si miles*, in fine, ibi: «testamentum eius». Idem in *l. Suus quoque, ff. De here. insti.*, in principio: «et quidem sub ea condicione quae est in potestate ipsius potest»; et idem in *§ penultimo et finali habes et in tot aliis legibus, ut quam difficillima quamque longissima esset numeratio.* (13) Quas ob res haec regula licet in plerisque teneat, tamen fallit et in multis, et ideo magis mea confirmatur intentio (cf. D. 1, 2, 2; D. 1, 7, 2; D. 1, 7, 22; D. 1, 8, 6; D. 1, 9, 7; D. 1, 14, 1; D. 1, 17, 1; D. 2, 2, 1; D. 2, 2, 3; D. 2, 2, 3; D. 2, 14, 47; D. 28, 2, 28; D. 28, 2, 29, 7; D. 28, 3, 6; D. 28, 3, 7; D. 28, 5, 4).

17^a ratio. De proprietate huius praepositionis inter, se uel ipsos uel eos praepositae.

[55] Altera regula a Laurentio in quarta causa, supra in XI^a ratione relata, sub uersu *In quarta causa*, ibi: *Hanc eandem differentiam* et cetera, super *inter* data fuit, unde XVII^a ratio manare potest, quod nihil interest post *inter sui* uel *se* uel *ipsos* apponas, cum genitiuus uel datiuus uel ablatiuus antecedit. (2) De genitiuo, Quintilianus in X^o (10, 2, 23) post *eum* adit *inter se ipsasque* et pos, duntaxat *se* adiungit, secundum eiusdem Laurentii exemplum: «cum sit diuersa non causarum modo inter se ipsas condicio, sed in singulis etiam pluribus causae siue sit alia leuiter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia monendi gratia dicenda, quorum omnium dissimilis atque diuersa inter se ratio est». (3) Et in hoc Tulliano *Brut.* 85, 1), secundum Laurentium, post *inter* modo *ipsos* apponitur: «Nec mihi ceterorum iudicio uidetur solum, sed etiam ipsorum inter ipsos concessu ita tributum fuisse»; et primo *De officiis* (1, 7, 20): «De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio qua societas hominum inter ipsos et uitae quasi communitas continetur»; et ibidem circa finem (1, 153): «Illa autem sapientia quam principem dixi, rerum est diuinarum et humanarum scientia, in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter ipsos.» (4) Paulus insuper in *l. Maiorem*, § *I*, ff. *De pactis* (D. 2, 14, 8), praecedente genitiuo post *inter*, non *se*, sed *eos* adiecit, sic enim eleganter ait: «in numero autem pari creditorum auctoritatem eius sequitur praetor qui dignitate inter eos praecellit». (5) Cicero tamen in eodem primo (*Off.* 1, 17), *se* post *inter* ponit, praecedente datiuo: «Multa sunt ciuibus inter se communia: forum, fana, porticus, uiae, leges, iura, iudicia.» (6) Quintilianus (8, 6, 1), datiuo et ablatiuo praeunte, *ipsos* post *inter* collocat: «Circa quem inexplicabilis et grammaticis inter ipsos et philosophis pugna est». Et infra (10, 2, 15): «Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua uiciosa et a doctis inter ipsos mutuo reprehensa.» (7) Vlpianus ff. *De transact.*, *l. Qui cum tutoribus*, § finali (D. 2, 159, 3): «ei qui nondum certus est ad se quaerelam contra patris testamentum pertinere de aliis causis cum aduersariis pacto transegit, tantum in his interpositum pactum nocebit, de quibus inter eos actum esse probatur.»

De se duntaxat post inter, cum nominatiuus acusatiuusue praecedit.

[56] *Se* tamen post *inter* adiicitur, cum nominatiuus acusatiuusue praecedit. Vt de hoc innumera comperiuntur exempla, paucissima numeremus. Cicero *De officiis* libro primo: «ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent». Et infra: «quorumque quod ea quae plerique uehementer expectant de quibus inter se digladiari solent contemnant et pro nihilo ducant». Et infra: «conciliat inter se homines». Et infra: «quod inter se partes omnis cum quodam lepore consentiunt» (cf. Cic. *Off.* 1, 7, 22; 1, 9, 28; 1, 16, 50; 1, 28, 98). (2) Vlpianus in *l. I*, in principio, ff. *De pac.*: «consentiunt, qui inter se agunt»; idem in eodem, *l. Conuentio*: «publica conuentio est quae fit per pacem, quotiens inter se duces belli quaedam paciscuntur.» Modestinus in *l. Tres fratres* et Neracius in *l. Ab emptio*, ff. eodem titulo. (3) Verum ego ipse apud Vlpianum in *l. Quotiens*, § *Heredes*, ff. *De here. inst.*, praeunte nominatiuo post *inter* subiicit *eos*, non *se*, repperi: «Heredes iuris successores sunt et, si plures instituantur, diuidi inter eos a testatore ius oportet»; et *l. I*, in principio, ff. *De pac.*, et *l. Si cum dotem*, § *Sin uero dotem*, et *l. Si constante*, § *Si uir*, ff. *Sol. ma.*, et *l. Stipulatio*, § *Quaesitum*, ff. *De no. op.*, et apertius in *l. III*, in principio, ff. *De duo. re.*: «et parui refert, simul spondeant an separatim promittant cum hoc actum inter eos sit, ut duo rei constituentur»; etiamque in *l. Si cum duorum*, ff. *De stip. ser.* (4) Ex hoc consequens est dicere magnam inter *se* et *ipsos* et *eos* affinitatem esse, nec mirum si quis uno pro altero utatur saepenumero. Et Laurentium non omnia pernotasse, licet quam plurima legerit et percontatus sit (cf. D. 2, 14, 1, 3; D. 2, 14, 5; D. 2, 14, 35; D. 2, 14, 58; D. 28, 5, 9, 12; D. 2, 14, 1; D. 24, 3, 22, 8; D. 24, 3, 24, 4; D. 39, 1, 21, 5; D. 45, 2, 3; D. 45, 3, 32).

18^a ratio. Non licet uti suus, quando copula interuenit.

[57] Tertia uero regula, supra in uersu *Ego uero ita sentio* posita, ubi XVIII^a fundatur ratio, talis est non licere uti *suus* quando copula interuenerit, quippe cum reciprocatio tunc nulla sit, ideoque non *catulos suos* dicendum, sed *eius*. In ceteris, si substantiuum pronomini respicit ad suppositum, *suus* utique dicendum est, sin autem ad appositum, saepius *eius ipsiusue* proferri. (2) Ad suppositum, ut *deus clementiae suae memor misereatur seruis suis, ob benignitatem suam, in furore suo*. Ad appositum, ut *amamus deum misericordiarum eius memores, eius clementiae considerentes, eius potentiam collaudantes, eius uisu frui sperantes*. (3) Nec tamen impedit ratio, quin et *suus* collocari possit, ut *amamus deum misericordiarum suarum memores, suae*

dementiae confidentes, potentiam suam collaudantes uisusque suo frui sperantes. (4) Ac ne quidem auctoritas, Terentius in *Adelphis* (958):

«Suo sibi hunc gladio iugulo»;

Cicero *De republica* libro VI^o (6, 9): «Itaque ego illum de suo regno, ille me de uestra re publica percontatus est.» (5) Salustius in *Catilinario* (31, 7): «Ne aestimarent sibi, patricio homini, cuius ipsius atque suorum maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent perdita rei publicae opus esse, ut eam seruaret M. Tullius, inquilinus ciuis urbis Romae.» (6) Nisi siquid addatur apposito adiectiuum uerbumue ad quod fieri debeat reciprocatio. Quod genus est *inueni leonem iratum ac saeuioem ob amissam praedam suam*, et cetera.

[58] Nec in dubium reuoco quin prima pars huius tertiae regulae in plerisque locis inueniatur obseruata. Marcus enim Tullius 2^o *Ad Herennium* dicit (2, 5): «Illum autem occultasse sua flagicia»; et in III^o (3, 7): «Si humili genere ipsum in suis non in maiorum uirtutibus habuisse praesidium»; et in prologo quarti (4, 3): «Et suum quisque de libris suis tulerit, nihil istis quod suum uelint relinquatur.» (2) Florentinus in *l. Ut uim, ff. De iust. et iur.* (D. 1, 1, 3): «Nam hoc iure euenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit iure fecisse aestimetur.» (3) Caius² in *l. Omnis*, eodem titulo (D. 1, 1, 9): «omnes populi qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur.» (4) Paulus in *l. penultima*, eodem titulo (D. 1, 1, 11): «Vbicumque praeter salua maiestate imperii sui saluoque more maiorum ius dicere constituit, is locus recte ius appellatur.» (5) Caius in *l. I, De ori. iur.* (D. 1, 2, 1): «sed quod in omnibus rebus animaduerto id perfectum esse, quod ex omnibus partibus suis constaret.» (6) Pomponius in *l. II, § Et cum placuisset*, uersu *Inicium*, eodem titulo (D. 1, 2, 2, 24): «et castitatem filiae suae uitae quoque eius praefendam putaret».

[59] Hanc tamen tertiae regulae partem primam saepe reperio deficere, licet Laurentius (*De rec.* 8) eam generale sine aliqua limitatione ponat. Cicero *Officiorum* primo (1, 33, 121): «ea tamen praestare debebit, quae erunt in ipsius potestate», quod exemplum et Laurentius retulisset. (2) T. Liuius libro primo *Ab urbe condita*, capitulo VIII^o (1, 24, 6): «Verbena caput eius capillosque tegens pater patratus³ ad iusiurandum patrandum est.» (3) L. Florus, *Historiarum Romanarum* describens *Epitoma*⁴ breuissimo, latino politoque sermone, libro II^o dicit (1, 22): «Iam certum erat Hannibalem etiam ipsius confessione posse uinci.» (4) Caius in *ff. l. Omnes, De iustitia et iure* (D. 1, 1, 9): «Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium ciuitatis est, uocaturque ius ciuile, quasi ius proprium ipsius ciuitatis.» (5) Pomponius in *Digestorum l. II, § Eodem tempore constituti sunt, De ori. iur.* (D. 2, 2, 30): «et triuiri capitales, qui carceris custodiam haberent, ut cum animaduerti oporteret interuentu eorum id fieret.» (6) Vlpianus in *l. I, § Cum patronus, ff. De off. prae. ur.* (D. 1, 12, 1, 10): «Certe si se delatum a libero uel si conspirasse eum contra se cum inimicis eius doceat metalli poena in eum statui debet.» (7) Et licet multa alia exempla, praeter excerpta a sacris scriptis ab ipso repressa Laurentio, quae forsitan corrigi non deberent, contra hanc regulam afferre possem, tamen his adductis uolo esse contentus, ne in re satis et plusquam satis aperta longior quam oporteat iudicarer. Illud autem unum contra Laurentium possum asserere, quod licet regula in plerisque uera sit, non tamen in omnibus, sed et in multis fallit.

² *Glossa*. Nota quod scribo *Gaius* per *C*, nam secundum Seruium, *Georgicorum* primo (1, 194), antiqui in non nullis uerbis *-c-* ubi *-g-* pronuncianda erat scribebant, ut in *Caius, Cnaeus, amurca*. Seruius enim ibi dicit expresse: «*Amurca* sordei olei quae praecedit nam quae sequuntur feces uocantur. Nota uero per *-c-* scribi debere *amurcam* et per *-g-* pronunciari sicut *Caius*».

³ *Glossa*. *Pater patratus* est is quem uulgo *armorum regem* uel *araut* dicimus. (El terme *arau* és recollit, amb la mateixa accepció, per P. LABERNIA al *Diccionari de la llengua Catalana*, Barcelona 1836).

⁴ *Glossa*. *Epitoma* cum *-i-* latino et *-t-* exili scribitur. Dicitur potest *Breuiarium*, nam componitur ex *epi* praepositione et *tom*i quae est *incisio*, quasi interfectum. Tordellus.

[60] Hanc tamen regulam ut plurimum obseruatam adiciendam puto, quod ubi, secundum primam eius tertiae regulae partem, deriuatiuum *suus* et non *eius*, *ipsius* uel *illius* debeat adici, ibi quandoque ad propriam personam referendam *sui* liceat primitiuo uti. (2) Vlpianus enim *l. Pridie, ff. De feri.*, ait (D. 2, 12, 5): «*pridie Kalendas Ianuarias magistratus neque ius dicere, sed nec sui potestatem facere consueuerunt.*»

[61] Idem in *l. Quae omnia, § I, De procu.* (D. 3, 3, 25): «*sed si id illesa existimatione sui fiat: ceterum ferendus est pudorem suum purgans.*»

[62] Caius in *l. I*, in fine principii, *Quod cuiusque no. uniuer. uel contra eam agatur* (D. 45, 1, 2): «*Et, si admoniti non excitentur ad sui defensionem, uenire se iussurum proconsul ait.*»

[63] Paulus in *l. II*, in principio, *ff. De uer. obli.*: «*quaedam partis quidem praestationem natura sui recipiunt.*»

[64] Idem Paulus in *l. Inter stipulantem, § Sacram, uersu Debet haec dissimilia sunt*, ibi (D. 45, 1, 83): «*Et ea duntaxat, quae natura sui possibilis sunt, deducuntur in obligationem.*» Si *suus* accipiatur substantiue uti *eius* uel *ipsius* uel *illius* nequeamus.

[65] Nec obliuioni tradatur quod et ait Laurentius, ut, si *suus* accipiatur substantiue, uti *eius* uel *ipsius* uel *illius* nequeamus, ut *comperi illum cum suis*, siue *inter suos*. Salustius in *Catilinario* (21, 4): «*Ad hoc malis dictis increpabat omnes bonos suorum unumquemque deliberans, nominans laudare, admonebat alium egestatis, alium suae cupiditatis. Complures periculi atque ignominiae, multos Sillanae uictoriae quibus ea praedae fuerat.*» Cum *suus* pro *proprius* accipitur, nulli *eius*, *ipsius* uel *illius* uti licet.

[66] Insuper cum *suus* pro *proprius* accipitur, nulli *eius*, *ipsius* uel *illius* uti licet, ut *haec dixi suo loco suisque temporibus*, non *eius* et *ipsorum*. Cicero *De officiis* libro primo (1, 7, 20): «*communibus pro communibus utatur priuatis ut suis.*»

[67] Vlpianus in *l. Iusticia, ff. De iusti. et iur.*, in principio (D. 1, 1, 10): «*Iusticia est constans et perpetua uoluntas ius suum unicuique tribuens.*»

[68] Idem *Quod me. ca. l. finali, § Si fenerator* (D. 4, 2, 23, 2): «*competens iudex rem suae aequitati restitui decernat.*»

[69] Virgilius in *Bucolicis* (2, 65):

«*Trahit sua quenque uoluptas.*»

[70] Terentius in *Phormione* (2, 4, 14):

«*Quot homines tot sententiae, suus cuique mos.*»

[71] Et haec regula tertia cum limitatione sua magis cognitione inter *sui* et *suus* ex una parte, ex altera uero inter *eius*, *ipsius* *illiusque* declarat et propositum nostrum perapertius ante oculos collocat.

Prisciani defensiones.

[72] Cum autem defensionis genus multo laudabilius quam accusationis sit, Priscianum, in non nullis a Laurentio reprehensum, conabor defendere. Primum in eo, quod Priscianus dixerit *propter multitudinem tertiarum personarum*, in quem Laurentius inuehens, ut supra in XIII^a ratione, uersu *Cui quidem textui*, est relatum, sic infert: (2) «*Praeter rem fuit hoc notare, quod ad multas atque ideo innumerabiles personas tertias, cum tantum una sit, sed huius personae innumerabiles uoces*», hoc enim Priscianus, ut uir doctissimus, minime ignorabat et eius textus, scilicet *propter multitudinem tertiarum personarum* grano salis intelligendus est; (3) puta propter uocum multitudinem ad tertiam personam, quae uel una fit, spectantem, quod ad differentiam dicitur primae secundaeque personae, in quibus et persona et uox una sit, sed in tertia, licet persona quoque sit una, tamen uoces sunt innumerabiles, iccirco Priscianus non erat corrigendus. (4) Haec autem reprehensio non abhorret ab ea, quam Aristoteles super uerbis quandoque Platoni suo facit, ut primo *De anima*, capitulo VII^o (406b), praesertim X^o iunctis ibi scribentibus, uideri potest. (5) Nam in X^o refert Platonem in *Thimeo* (34a-ss.) dicentem quod «*anima corpus mouet, ut quae primo a se mouetur et corpori sit coniuncta et dicit eam numeris ex armoniis constitutam esse, aspectum uero illorum numerorum rectum in circulos esset reflexum et hoc totum in duos principales circulos directum, scilicet et obliquum super Zodiaci polos esse diuisum, et obliquum in VII circulos secundum VII planetas diuidebat*». (6) Et sic ille ipse Plato de anima uel animabus corpora super caelestia mouentibus parabolice et occulte, et de animabus humanis metaforice propter cognitionem, quam anima, de aliis directe et, per aliorum cogitationem, de se reflexiue, quasi circulo quodam facit, indubie loquebatur. Enimuero Aristoteles, uerba proprie accipiens, non modo secundum

sententiam, sed et secundum uerba, Platonem quandoque reprehendit. (7) Vnde Aegidius in eo capitulo X^o referens Themistium dicit hic (Aegidius Romanus *Super libros de anima*, 1, 47): «Vt dicebatur, Aristoteles ostendit intellectum non esse magnitudinem». Ad cuius euidenciam sciendum est quod, ut Themistius innuit, Plato magis hic secundum uerba, quam secundum sententiam reprehenditur. (8) Verum hoc est commune hominum uicium, ut promores ad corrigendum uituperandumque quam ad protegendum et collaudandum sint. Quod uicium qui fugerit et contrarium fecerit, uelut rem admirabilem et a paucissimis gestam, agens splendidissimis laudibus celebrandum puto.

Secunda Prisciani defensio.

[73] Nec mihi placet Laurentius in eo, quod Priscianum dicentem posse dici *suus illius filius, suus Platonis Aristotelis discipulus carpsit*, ita quod aliud sit ab eo quod dicitur: *suus est Homeri, uel Homero, mos et suus cuique mos*, et apud Catullum (22, 20):

«Suus cuique innatus est error»,

cum hic *suus* pro *proprius*, non autem illic debeat accipi, deinde nulla illic, quae hic sit reciprociatio. (2) Item quod exemplum (Verg. *Georg.* 1, 57)

«India mittit ebur, molles sua thura Sabaei»,

sit inutile, «Cum in ipso *sua* pro *propria* non accipiatur, sed quemadmodum cum dicitur *mittunt suos legatos, suos milites, suas naues, sua agmina*, ut et in Terentiano exemplo (*Ad.* 958)

"Suo sibi hunc gladio iugulo",

quod *sibi* nullo nisi festiuitatis gratia sit adiunctum».

[74] Nec abs re dixi huiusmodi correctiones mihi non placere. Nam et in Prisciani exemplis *suus* pro *proprius* et in Virgiliano exemplo *sua*, id est *propria*, etiamque secundum illa exempla *mittunt suos legatos, suos milites, suas naues, sua agmina*, potest exponi.

[75] Nec in Terentiano exemplo *sibi* sola festiuitatis gratia additum esse reor, sed *sibi* pro *ei* uel *ipsi*, id est, ad eius uel ipsius damnum interitumque fuisse copulatum.

[76] Nec licet, interiecto uerbo *est*, *suus* a possessione separetur, ut *suus est illius filius*, uel *discipulus*, uel *mos* uel *natura*. Alterum genus loquendi erit ab eo ubi *est* deficit, sed, ut in hoc, et in illo *suus* pro *proprius* exponetur. Et ita ratio dicere non uetat *suus Ciceronis filius, heres patris institutus est*.

[77] Nec is loquendi modus a iureconsultorum usu est omnino alienus. Scaeuola nanque in *l. Gallus*, § *Et quid si tantum*, ff. *De liber. et posthu.*, loquitur hoc modo (D. 28, 2, 29, 5): «Quid si nepos ex quo pronepos institueretur, ut ostendimus, emancipatus esset? hi omnes casus et omnes ex quibus *suus* heres post mortem suam, scilicet *auis*, nasceretur, non pertinent ad legem *Velleiam*», hic autem genitiuus *auis* uerba *suus heres et mortem suam* declarat et exponit.

[78] Ad hoc etiam Salustius in *Catilinario* confirmandum facit (31, 7): «Ne aestimarent -inquit- sibi, patricio homini, cuius ipsius atque suorum maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent perdita, rei publicae opus esse, ut eam seruaret M. Tullius inquilinus ciuis urbis Romae». Hic enim *ipsius* cum *auis* uel *suorum* potest coniungi uel in *suorum* reperi ad maiorem expressionem faciendam, scilicet ipsius Catilinae.

[79] Nec ommittendum est quod et Scaeuola in *l. finali*, § *finali*, ff. *De dona.*, inquit (D. 39, 5, 35): «*Auis* sub nomine Labeonis nepotis sui mutuam pecuniam dedit», saltem si genitiuus *Labeonis* non a *nomine* sed a *nepotis*, ex ui generis, regeretur, ita quod Labeo maritus esset *auiae*.

[80] Nec ad maiorem Prisciani defensionem Terentium possum praetermittere in *Phormione* sic dicentem (4, 1, 21):

«Ego meorum solus sum meus»,

quem textum cum Prisciano supra in quarta ratione alegaui.

[81] Nec approbo ut nihil agat *suus* si ad *Ciceronis filius* apponatur. Nam discretiue pro *proprius* uel abundanter ad maiorem expressionem declarandam stare potest.

[82] Nec Priscianus hanc regulam super *suus* assignatam, scilicet quod tunc nominatiuum possessiui tertiae personae utimur quando ad suum possessorem et non ad alium transitionem facit possessio, ut *indiget illius*, uel *Ciceronis, suus filius, uidet illum*, uel *Ciceronem, suus filius*; (2) similiter passiuam, quae a possessore solo fiunt, nominatiuum possessoris exigunt, *amatur ab illo*, uel *a Cicerone, suus filius, bene meretur de illo*, uel *de Cicerone, suus filius*, ad nominatiuum coartasse, a Laurentio fuit reprehendus, nam ad alios casus potest extendi, postquam in omnibus eadem sit ratio, ut *Ciceronis filium suum piget*,

rumor est Caesari familiares suos insidiari, constat morem suum esse Homeri, Pompeium fugere sua interest. (3) Itaque correctiones multae, quas Laurentius de Prisciano facit, supra in XIII^a ratione memoratas, facile remoueri possunt. (4) Cum igitur haec ita sint, dubitari nequit, quando per has XVIII rationes plusquam probata nostra sit intentio. Praesertim per VI rationem, ubi manifeste *sibi* retransitiue ponitur, uti saepenumero poni reperitur a Petro Heliae, commentatore Prisciani doctissimo, pro *ei* exponitur, et per XI rationem, ubi uersu *Aliquando* (considera potissimum) sic dicentem: (5) «Aliquando uidere licet, ubi desideres *eum*, ibi esse *se*, et rursus, ubi *se* ibi *eum*.» Cicero *Pro Ligario* (8, 3): «Atque hoc propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cum de se eadem dicerem, ignosceret; et per amphibologiam libro *Officiorum* primo (1, 28, 99): «Nam negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti», nonne licebat hic dicere *quid de eo quisque sentiat?* et cetera.

[83] Satis et plus quam satis per regulas Prisciani Laurentiique Vallensis declaratum est *sui* proprie et plerumque reciproce sed retransitiue et improprie uel saepe pro *eius*, *ipsius illiusque* locari, quae quidem regulae multis auctenticis exemplis fuerint confirmatae. (2) Tempestium est, ut ad multorum maximorumque auctorum consuetudinem, saltem quoad retransitionem improprietatemque *sui*, ut et hoc, pro *eius*, *ipsius illiusue* collocare consueuerint, de quo principaliter quaeritur, transeamus.

De exemplis summorum auctorum sibi pro ei, ipsi uel illi ponere solitorum: 19^a ratio a Ciceronis auctoritate.

[84] Primus est Cicero *De officiis*, libro primo (1, 5, 17): «Reliquis aut tribus uirtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio uitae continetur ut et societas hominum coniunctioque seruetur et animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat». (2) Nam si *sibi* ad proximiora, scilicet ad *animi excellentia magnitudoque* referatur, stat proprie et reciproce, et enim resolutione facta, una eademque persona agere patique intelligitur, quippe cum faciendam sit resolutio *animi excellentia magnitudoque eluceat in augendis opibus utilitatibusque, quas sibi et suis compararit*. Sin autem per *sibi* ad longiora, scilicet ad *societas hominum coniunctioque* fiat relatio, retransitiue et improprie, puta pro *ei*, fiet expositio. (3) Idem si et facta ad proximiora relatione, fiat resolutio *et sibi et suis comparandis*, id est, *quae sibi*, pro *ipsi*, et *suis compararentur*.

[85] Idem Cicero libro III, § *Caius Canius*, uersu *Tollendum, se* pro *eum* posuit (3, 18, 61): «Tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium, non licitorem uenditor, neque, qui contra se liceatur emptor apponat», hic enim *se* non reciproce, referendo *se* ad *emptorem* uel *illum* subintellectum, sed retransitiue, pro *eum* uel *ipsum* referendo *se* ad *uenditorem* debet intellegi.

[86] Idem in eodem, § *Caius Marius, se* quoque pro *eum* uel *ipsum* collocauit (3, 23, 7): «Caius Marius cum a spe consulatus longe abesset, etiam septimum annum post praeturam iaceret, neque petiturus unquam consulatum uideretur, Q. Metellum, cuius legatus erat, summum uirum et ciuem, cum ab eo imperatore suo Romam missus esset, apud Populum Romanum criminatus est bellum illum producere, et si se consulem fecissent, breui tempore aut uiuum aut mortuum Iugurtam se in potestatem Populi Romani redacturum», (2) hic enim *se* non refert unam eandemque personam quae respectu unius eiusdemque uerbi sit agens et patiens, ut in reciprocatione fit, quemadmodum est in illo exemplo *Ioannes diligit se*, sed refert personam respectu uerbi agentem alterius.

[87] Idem in eodem, § *Cum rex Pirrhus, sibi* pro *ipsi* scripsit (3, 25, 86): «Cum rex Pirrhus Populo Romano bellum ultro intulisset cumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente, profuga ab eo uenit in castra Fabricii eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se ut clam uenisset, sic clam in Pirrhi castra rediturum et cum ueneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curauit ad Pirrhum, idque eius factum laudatum a Senatu est.»

[88] Idem in eodem, § *L. Manlio Auli filia, sibi* quoque pro *ipsi* constituit: «At ille puer, ut ingressus est, confestim gladium distrinxit iurauitque statim illum interfecturum, nisi iusiurandum sibi dedisset se patrem missum esse facturum». (2) Quod autem hic *sibi* pro *ei* uel *ipsi* collocauerit, et magis proprie *ei* uel *ipsi* scripsisset, declarat paulo ante: «Cum rex Pirrhus, -et infra- profuga ab eo uenit»; et circa libri finem: «Sin autem speciem utilitatis etiam uoluptas habere dicitur, nulla potest esse ei cum honestate coniunctio» (cf. Cic. *Off.* 3, 31, 112; 25, 86; 3, 33, 120). (3) Haec etiam in V^a *Tusculana* declarantur (5, 97): «Socratem ferunt cum usque ad uesperum contentius ambularet, quaesitumque esset ex eo quare id faceret, respondisse se, quo melius cenaret, obsonare ambulando famem.»

20^a ratio Salustii auctoritate.

[89] Salustius in *Catilinario de se pro de eo et sibi pro ei uel ipsi* conscripsit (31, 7): «Sed ubi ille assedit, Catilina ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso uultu, supplici uoce a patribus postulare coepit, ne quid de se temere crederent, ea familia ortum ita se dicebat ab adolescentia uitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet. (2) Ne aestimarent sibi, patricio homini, cuius ipsius atque suorum maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent perdita, rei publicae opus esse, ut eam seruaret M. Tullius, inquilinus ciuis urbis Romae.»

[90] Idem in eodem *sui pro ipsorum* et postea bis *eos* referens eosdem composuit (40, 4): «Haec ubi dixit, Allobroges, in maximam spem adducti, Vmbrenum orare coeperunt, ut sui miseret. Nihil tam asperum nec tam difficile esse dicebant quod non cupidissime facturi essent, dum eos aere alieno liberaret. Ille eos in domum Decii Bruti producit.»

[91] Idem in eodem *sibi pro ipsi et sese pro eum ipsum* constituit (46, 2): «Porro autem anxius erat dubitans, in maximo scelere tantis ciuibus deprehensis quid facto opus esset: poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdendae rei publicae causam fore credebat. Igitur confirmato animo uocari ad sese iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, item quendam Caeparium Tracinensem.»

[92] Idem in eodem *sibi* quoque pro *ipsi* construxit (48, 9): «Ipsum Crassum ego postea praedicantem audiui tantam illam contumeliam sibi a Cicerone impositam.»

21^a ratio. L. Florus.

[93] L. Florus, historiographus elegantissimus ornatissimusque, libro I^o, in tractatus principio, praedicta confirmans, *de se pro de eo*, scilicet Marte, posuit (1, 1, 37): «primus ille et urbis et imperii conditor, Romulus, fuit Marte genitus et Rhea Siluia, haec de se sacerdos grauida confessa est», hic enim *de se*, id est *de eo*, scilicet Marte, debet exponi. (2) Item in huius primi fine capituli *a se pro ab eo ipso* et *se quoque pro eum ipsumque* scripsit (1, 1, 18): «Iulius Proculus fidem fecit uisum a se Romulum affirmans augustiore forma quam fuisset mandare, praeterea ut se pro numine acciperent.

[94] Idem in II super bello Punico 2^o, post principium *sibi* proprie et improprie, secundum uarias punctationes, constituit (1, 22, 14): «Hannibal causas nouorum motuum quaerens, et suis et suorum manibus euertit, ut Italiam, sibi rupto foedere aperiret», si omni coma post *sibi* fiet, ad *Hannibal* referetur reciproceque existet, sin autem post Italiam, retransitiue ad *Italiam*, relatione facta, debet intelligi.

[95] Idem in III^o de bello Cimbrico, Teutonico, et Tigurino *sibi* quoque pro *ipsis* posuit hoc modo (1, 38, 3): «Cimbri, Teutonici atque Tigurini, ab extremis Galliae profugi, cum terras eorum inundasset Oceanus, nouas sedes toto orbe quaerebant exclusique Gallia et Hispania, cum in Italiam remigrarent, misere legatos in castra, Syllam inde ad Senatum petentes ut Martius Populus aliquid sibi terrae daret quasi stipendium, ceterum ut uellet manibus suis atque armis uteretur.»

22^a ratio. T. Liuius.

[96] Nec T. Liuius, cuius L. Florus epitoma fit, praetermittendus est, qui libro primo *Ab urbe condita*, capitulo V^o, *sibi* quoque pro *ipsi* uel *ipsis* statuit (1, 9, 2): «Tum ex consilio patrum Romulus legatos circa uicinas gentes misit, qui societatem connubiumque nouo populo peterent. Vrbes quoque ut cetera ex infimo nasci, deinde sua uirtus ac dii iuuarent magnas opes sibi magnumque nomen facere, quia omnia ex minimis ad maius exsurgerent», hic enim *sibi* ad *nouum populum urbesue* relatum pro *ipsi* uel *ipsis* situatur.

[97] Idem in II^o in fine primi capituli L. Tarquinum Collatinum primum consulem cum Iunio Bruto commemorans *sibi* pro *ei* uel *ipsi* seque proprie conscripsit (2, 2, 10): «Timens consul ne post modum priuato sibi eadem illa cum bonorum amisione, addita insuper alia ignominia acciderent, abdicauit se consulatu rebusque suis omnibus Lauinium translatis ciuitate cessit.»

[98] Idem in II^o, capitulo III^o, de rege Porsenna et Q. Mutio Romano loquens fortissimo, *sibi* quoque pro *ipsi* construxit (2, 12): «Cum Rex simul ira infensus periculoque conterritus circumdari ignes iuberet nisi exprimeret propere, quas insidiarum sibi minas per ambages iaceret en tibi inquit, ut sentias quam uile corpus iis sit, qui magnam gloriam uident, dexteram accenso ad sacrificium foculo iniicit.»

[99] Idem in eodem capitulo, paulo post, *se pro eum ipsum*, scilicet *Porsennam*, conscripsit (2, 13, 1): «Legati a Porsenna Romam secuti sunt adeo mouerat eum et primi periculi casus a quo nihil se

praeter errorem insidiatoris texisset et sub eundam dimicatio totiens et quod coniurati superessent ut pacis condiciones ultro ferret Romanis».

[100] Idem capitulo XV^o (2, 52, 1): «postquam timor futurae inopiae sibi cuique abiit», pro *ei ipsi*.

23^a ratio. Suetonius.

[101] Suetonius *De XII Caesaribus* libro I^o, post principium, *sibi*, secundum lecturas uarias, reciproce uel retransitiue et *secum* retransitiue seu pro *cum eo* constituit (1, 3, 1): «Satis constat Syllam cum deprecantibus amicissimis et ornatissimis uiris, aliquandiu denegasset atque illi pertinaciter contenderent propugnatum tandem proclamasse, siue diuiciis siue aliqua coniectura uincerent, ac sibi haberent dum modo scirent eum, quem incolumem tantopere cuperent quandoque optima tum partibus, quas secum simul defenderent, exicio futurum».

[102] Idem paulo post, in § *His plane*, se proprie *ei*que, ubi retransitiue *sibi* et pro *se acturum*, quod ipse ageret, ponere potuisset (28, 2, 1): «Scripsit M. Claudius Marcellus edicto praefatus, de summa se re publica acturum retulit ad Senatum, ut ei succederetur ante tempus quem, bello confecto, pax esset.»

24^a ratio. Iustinus.

[103] Idem facit Iustinus *Epitomatis* XLVIII librorum Trogi Pompeii ante libri primi finem (1, 10, 15): «Vnus de interfecto Zophirus domi se uerberibus lacerari toto corpore iubet, nasus, aures et labia sibi percidi, atque regi ita inopinase offert», quippecum dicere potuisset *Zophirus, iubet domi ut ipse toto corpore laceraretur uerberibus, et nasus, aures et labia perciderentur, se uero in se offert*, proprie stat et reciproce cum una eademque persona respectu eiusdem uerbi agat, et etiam patiatur.

[104] Idem in libri primi fine, *sibi* pro *ei* disponens ait (1, 10, 22): «Ac postremo uniuersum sibi creditum exercitum Dario prodit», id est *uniuersum exercitum qui creditus erat ei Dario prodit*.

[105] Idem in III^o post principium primum *se* secundumque improprie, tertium uero proprie collocauit (3, 1, 8): «Itaque cum inter ceteros Arthabanus armatus assisteret, rex simulat se breuiorem loriam habere, iubet Arthabanum secum commutare exuentem se ac nudatum gladio traiecit», hic uero proprie poterat dicere *rex simulat quod ipse loriam breuiorem haberet, iubet ut Arthabanus cum eo commutare et gladio traiecit illum, dum se exueret*. (2) Paulo post, iterum *se* ponit proprie atque ita (3, 1, 19): «egregius adolescens et caedem patris et necem fratris et se ab insidiis Arthabani uindicauit.»

[106] Multa ex poetis possem adducere, quae praetermittenda puto, ne res laboris et longitudinis et paruae existimacionis esset, ascriberetur enim et poeticae licentiae et metrorum grauitati.

25^a ratio. Pomponius.

[107] Verum enimuero iureconsultos nostros, bonae latinitatis obseruantissimos et in oratione soluta elegantissimos, non ommittam. Primum nanque Pomponius in *l. II, § Et cum placuisset*, uersu *Inicium, ff. De ori. iur., a se* pro *ab ea* surrogauit (D. 1, 2, 2, 24): «Inicium fuisse secessionis, dicitur Virginius quidam, qui cum animaduertisset Appium Claudium contra ius, quod ipse ex ueteri iure in XII tabulis transtulerat, uindicias⁵ filiae suae a se abdixisse et secundum eum qui in seruitutem ab eo suppositus petierat, dixisse captumque amore uirginis omne fas uel nefas miscuisse.»

⁵ *Glossa*. Vindicias, id est sententias uel sententiam, sic dictam a Vindice, Vitelliorum seruo. Vel sunt uerba solemnia pro libertate danda, secundum Accursium hic. Tu dic quod hoc uerbum dicit libertatem certa uerborum solemnitate datam uel super eam sententiam cum solemnitate datam declaratam, uel sententiam super libertate data cum solemnitate certa promulgandam. Non a Vindice, sed a Vindicio, Vitelliorum seruo, iurationis in ciuitatem Romanam a Vitelliis Aquiliisque machinatae indice dictam, cui propterea pecunia ex aulario libertas et ciuitas data est, et is dicitur primum uindicta liberatus; et quidam uindictae quamquam nomen tractum ab ipso putant, unde et manumissi uindicta dicuntur. De quibus habetur *Digestis*, et *Constitutionibus*. De manumissis uindicta et de huiusmodi seruo libertateque uindicta pene a Tito Liuio libro II, capitulo II, exaratur, qui hanc historiam de Appio et Virginio, Virginiaque filia sua, libro III, capitulo X (3, 44, 12), describit plenissime, et nota ibi: "Lege data ab ipso uindicias det secundum libertatem".

[108] Idem in eadem *l.*, § *Deinde Q. Mutius sibi* pro *ei* posuit (D. 1, 2, 2, 37): «Deinde Q. Mutius, qui ad Carthaginenses missus legatus, cum essent duae tesserae positae, una pacis, altera belli, arbitrio sibi dato utram uellet referre Romam, utranque sustulisset et ait Carthaginenses petere debere utram mallent accipere.»

[109] Idem in eadem *l.*, § *Seruius autem Sulpicius, sibi* pro *ipsi* constituit (D. 1, 2, 2, 43): «Seruius autem Sulpicius, cum in causis orandis primum locum aut pro certo post Marcum Tullium obtineret, traditum ad consulendum Q. Mutium de re amici sui peruenisse cumque eum sibi respondisse de iure Seruius parum intellexisset, iterum Quintum interrogasse et a Q. Mutio responsum esse nec tamen percepisse et ita obiurgatum esse a Q. Mutio, nanque eum dixisse turpe esse patricio et nobili et causas oranti ius, in quo uersaretur, ignorare.»

26^a ratio. Vlpianus.

[110] Vlpianus in *l. I.*, § *Cum patronus* et § *Quies, ff. De offi. prae. ur.*, prohibata clariora facit. (2) Idem in *l. I.*, coniuncta *l. Obseruare*, § *Antequam, ff. De offi. proc. et le.*, ante oculos collocat antedicta: «proconsul ubique quidem proconsularia insignia habet statim atque urbem egressus est potestatem autem non exercet nisi in ea prouincia sola quae ei decreta est». (3) Idem in eodem, *l. Obseruare*, § *Ante* «Ante quam uero fines prouinciae decretae sibi proconsul ingressus sit, edictum debet de aduentu suo mittere continens commendationem aliquam sui, siqua ei familiaritas sit cum prouincialibus uel coniunctio sit»; (4) et infra: «magni enim facient prouinciales seruari sibi consuetudinem istam et huiusmodi prerrogatiuas. (cf. D. 1, 12, 1, 10; D. 1, 12, 1, 12; D. 1, 16, 1; D. 1, 16, 4; D. 1, 16, 4; D. 1, 16, 4).»

[111] Idem in eodem, *l. Nec quicquam*, § *Obseruare*, ponit *sibi* proprie, et in uersu *Aduocatos* constituit *eos* et *eis* et *ei* et *eum* proprie (D. 1, 16, 9).

27^a ratio. Paulus et Pomponius.

[112] Paulus uero in *l. Legatus, sibi* improprie et Pomponius in *l. Legati*, eodem titulo, *eis* proprie, scilicet tantum modo relatiue, in his enim duabus legibus dicitur hoc modo (D. 1, 16, 12-13): «Legatus, mandata sibi iurisdictione iudicis dandi ius non habet»; «legati proconsulis nihil proprium habent, nisi a proconsule eis mandata fuerit iurdictio», hic enim per resolutionem percipitur in superiori *l. sibi* pro *ei* fuisse surrogatum.

28^a ratio. Vlpianus.

[113] Deinde Vlpianus idem in *l. unica, ff. De offi. prae. Aug.*, *ei* et *eius*, et in *l. Illicitas*, § *Veritas, ff. De offi. praesi., eum*, et in § *Sicuti, ei* et in § *Qui uniuersas, eis* proprie posuit, sed et in § *Veritas*, pro *eum*, se scribere ualuisset (D. 1, 17, 1; D. 1, 18, 6, 1; D. 1, 18, 6, 7; D. 1, 18, 6, 8).

[114] Idem Vlpianus in *l. I.*, *ff. De offi. procu. Cae.*, in fine principii, *ei* et in *l. I.*, *ff. De offi. iuri.*, *ei* quoque proprie posuit (D. 1, 19, 1; 1, 20, 1).

29^a ratio. Paulus

[115] Paulus in *l. Acquiretur*, § *I.*, *ff. De pac.*, *a se* pro *ab eo* et *ei* proprie, si *hoc pactum* subintelligatur, uel pro *sibi*, si uerbum *proderit* uerbum *filius familias* pro supposito receperit, collocauit (D. 2, 14, 28): «Item si filius familias pactus fuerit, ne a se petatur, proderit ei, et patri quoque, si de peculio conueniatur».

30^a ratio a Caio.

[116] Caius in *l. Contra iuris*, in principio, ponendo *ei* proprie et *a se* pro *ab eo*, *ff. eodem*, idem fere facit (D. 2, 14, 28).

[117] Pomponius in *l. penultima*, eodem titulo, bis *sibi* proprieque composuit (D. 2, 14, 61).

31^a ratio a Paulo.

[118] Paulus uero in *l. finali*, eodem titulo, bis a se retransitiue improprieque constituit, *ei* proprie addito (D. 2, 14, 62): «Si reus, postquam pactus sit a se non peti pecuniam ideoque cepit hoc

pactum fideiussori quoque prodesse, pactus sit, ut a se peti liceat, an utilitas prioris pacti sublata sit fideiussori, quaesitum est. Sed uerius est semel ad quaesitam fideiussori pacti exceptionem ulterius ei inuito extorqueri non posse.»

32^a ratio ab Vlpiano.

[119] Vlpianus in *l. Non est, ff. De transact.*, *ei* quoque proprie scripsit ubi *sibi*, sed improprie, tam a se quam ab aliis substitui saepenumero reperitur (D. 2, 15, 12): «Non est ferendus qui generaliter in his, quae testamento ei relicta sunt, transegit, si postea causetur de eo solo se cogitasse, quod prima parte testameac non etiam quod posteriore legatum sit.» Similia in praedictis sequentibusque comperies.

[120] Idem Vlpianus in *l. I, § His personis*, cum § sequenti, *De po., pro se*, pro *eis*, et dehinc *eis* proprie statuit (D. 3, 1, 1, 6): «his igitur personis quae non uirtutis causa cum bestiis pugnaverint, pro se permittit allegare, pro alio prohibet! Sed est aequissimum, si huiusmodi personae tutelam uel curam administrent, postulare eis pro his, quorum curam gerunt, concedi», hic tamen, si ad uerbum *permittit* respectus habeatur, *pro se pro eis* debet intelligi, sin autem ad infinitium *allegare*, supplendo ibi *ipsas* proprie reciproceque manebit.

[121] Idem Vlpianus, in *l. II*, in fine principii, *ei* proprie et in § *Ignominiae*, bis *eum* et in *l. Quid ergo, § Poena grauior*, bis quoque *eum* et *cum* eosemelque *eius* et *ei*, *ff. De his qui no. inf.*, collocauit (D. 3, 2, 2, 1; D. 3, 2, 2, 2; D. 3, 2, 13).

[122] Idem Vlpianus in *l. Seruum quoque*, in principio, *ff. De procur., eius, ei eumque* relatiue solum proprieque conscripsit, ut et Paulus bis *eos* in *l. Pomponius*, § finali, *ff. eodem* (D. 3, 3, 33; D. 3, 3, 40).

33^a ratio ab Iuliani auctoritate.

[123] Iulianus uero in *l. penultima*, eodem titulo, *in se* improprie pro *in eum*, resolutione facta, et proprie *ei* bis semelque *eum eiusque* composuit (D. 3, 3, 76): «Titius cum absentem defenderet, satis dedit et prius quam iudicium acciperet desit reus soluendo esse. Quamobrem defensor recusabat iudicium in se reddi oportere. Quaero an id ei concedi oporteat. Iulianus respondet: Defensor cum satis dedit, domini loco habendus est. Nec multum est praestaturus ei praetor, si eum non cogerit iudicium accipere, cum ad fideiussores eius iri possit. Ac et hi quicquid praestiterint a defensore consecuturi sunt.»

34^a ratio a Caio.

[124] Caius in *l. II, ff. De ne. ge.*, proprie *ipse* et *ipsum* relatiue et *se* reciproce et bis *ei* et ad eundem relatiue constituit (D. 3, 5, 2).

35^a a Iuliano.

[125] Iulianus in *l. Si pupili*, § finali, proprie quoque semel *eius* et *eas* eaque relatiue et quater etiam *ei* et bis reciproce *a se* et *a senet ipso* construxit (D. 3, 5, 2).

36^a ab Alfarino.

[126] Alfarinus in *l. Si minor XXV annis seruum, ff. De mino.*, *ei* proprie statuit, ubi quandoque *sibi* pro *ei* reperitur et tandem *huic* demonstrans minorem ad quem *ei* refertur subiicit (D. 4, 4, 33).

37^a ab Vlpiano.

[127] Vlpianus in *l. II*, in principio, *ff. So. ma.*, proprie *eam* posuit *eique*, licet saepe in simili loco *sibi* compererim, ut et in his locis antea fuit declaratum, consequenter *eum* relatiue modo et in § I, *ab eo* *eique* et in § finali bis *eam* semelque *eius* (D. 24, 3, 2).

38^a ratio a Pomponio.

[128] Pomponius in *l. Si alienam*, eodem titulo, *ei* dixit, ubi saepe *sibi* sit inuentum: «Si alienam rem sciens mulier in dotem dederit, reddenda est ei quasi suam dedisset (D. 24, 3, 11)».

39^a ratio a Paulo

[129] Paulus in *l. Ex diuerso*, eodem titulo, facit idem et in § *Idem Proculus ait* et in eadem *l. eam, eum* æque proprie comperimus (D. 24, 3, 17).

40^a ratio ab Vlpiano.

[130] Vlpianus in *l. Si cum dotem*, § *Si mulier* et § *Si pater*, eodem titulo, idem quod Pomponius Paulusque fecerunt, egit, et in § *Item pater*, eadem *l., sibi* quoque pro *ei* substituit, id quod resolutio declarabit: «Item pater furiosae utiliter intendere sibi filiaeue suae reddi dotem potest», sic enim facienda est resolutio: *Item pater furiosae utiliter potest intendere, ut dos sibi, pro ei, filiaeue reddatur* (D. 24, 3, 22, 2-3; D. 24, 3, 22, 9).

[131] Idem Vlpianus, eodem, in *l. Si constante*, § I et § *Si uir* et in *l. Facere, ei* constituit et in *l. Quotiens*, § I, *ipsi* ubi saepe *sibi* legatur (D. 24, 3, 24, 1; D. 24, 3, 24; D. 24, 3, 28; D. 24, 3, 29).

41^a ratio a Iuliano.

[132] Iulianus in *l. Si marito*, § I, eodem titulo, *a se* pro *ab eo* posuit: «si pater cum CC filiae suae nomine dotis gratia promississet, pactus fuit, ne amplius quam centum a se peterentur», ubi Accursius super uerbo *a se* resolutionem faciendo exponit: «A se, a patre scilicet, ne petat gener» (D. 24, 3, 31).

Africanus pro 42^a ratione adducitur.

[133] Africanus in *l. Ticia*, eodem titulo, *sibi* primum proprie, scilicet reciproce quod et improprie per resolutionem stare potest, secundum deinde modo improprie retransitiueque, scilicet pro *ei* distribuit: «Ticia diuortium a Deio fecit: hanc Ticius in sua potestate esse dicit et dotem sibi reddi postulat: ipsa se matrem familias dicit et de dote agere uult: quaesitum est, quae partes iudicis sint. Respondi patri, nisi probet filiam non solum in sua potestate esse, sed etiam consentire sibi, denegandam actionem, sicuti denegaretur, etiam si constaret eam in potestate esse». (2) Hic enim primum *sibi*, si ad *postulat* referatur, proprie accipietur et interpretabitur, id est, ad *utilitatem sui*, sin autem ad *reddi*, pro *ei*, facta resolutione, manebit, id est, *postulat pater, ut dos reddatur ei*, secundum uero *sibi* pro *ei* prorsus debet intelligi suppositum enim huius infinitiui consentire filiam ipsam et non patrem esse constat; (3) et ideo *sibi* ad *patrem* reciproce referri non posse, sed retransitiue pro *ei* accipiendum esse, et is intellectus per legem *Liberta* et legem *Dotem* et legem *Maritus* in prima, eodem titulo, confirmatur. Et multas similes leges in medium possem adducere, quas breuitatis causa praetereo (D. 24, 3, 34; D. 24, 3, 35; D. 24, 3, 37 ; D. 24, 3, 52).

43^a ratio a Paulo.

[134] Nec Paulus in *l. Cum emptor, ff. De damno infec.*, praetermittendus est, ubi et *sibi* pro *ei* collocatur, quod in resolutione cognoscitur (D. 39, 2, 3): «Cum emptor aedium ante traditam sibi possessionem ideo inutiliter stipulatur, quia uenditor omnem diligentiam ei praestare debet. Tunc certe utiliter stipulatur, cum omnis culpa a uenditore aberit, ueluti si precario emptori in his aedibus esse permisit custodiamque ei abfuturus tradidit». Principium nanque sic resoluo: *cum emptor aedium antequam possessio tradita sibi, pro ei, sit, quod in duplicato ei* subsequente patet aperte, ubi *ei* proprie et non *sibi* apponitur.

[135] Enimuero in *l. Apud Trebaciium, § Aquae pluuiae, De aqua. plu. ar.*, Vlpianus praeter eum qui, ubi mutua est relatio, bis *sibi* reciproce collocauit et ita proprie, nam una eademque persona respectu unius eiusdemque uerbi agit et patitur (D. 39, 3, 3): «Aquae pluuiae arcendae non nisi eum teneri, qui in suo opus faciat, receptum est eoque iure utimur. Quare si in publico opus fecerit, haec actio cessat, sibi que imputare debet is, qui damni infecti cautione sibi non prospexerit.»

44^a ratio a Paulo.

[136] Paulus in *l. Supra iter alienum, § Apud Ferozem, ff.* eodem, *sibi* secundum Accursium ipsum *sibi* ad *Ferozem* referentem improprie, scilicet pro *ei* uel *ipsi*, accipitur (D. 39, 3, 11): «Apud Ferozem Proculus ait: si cum uno dominorum actum sit, qui opus non fecit, debere eum opus restituere sua impensa, quia communi diuidendo actionem habet. Sed sibi magis placere patientiam duntaxat eum

praestare oportere», (2) hic enim exponendo *sibi* pro *Feroci* et supplendo in *placere* certum est uel constat uel ait, scilicet Paulus legis conditor, ipsum *sibi* pro *ipso* uel *ei* improprie sumptum exponetur, enim uero *sibi* relatum ad *Paulum* legis conditorem uel ad *Ferozem* dicendo ait, scilicet ipse *Ferox* proprie reciproceque potest intelligi.

45^o ratio a Paulo.

[137] Paulus in *l. Si publicanus*, § *De rebus*, ff. *De publicanis*, *sibi* pro *eis* secundum resolutionem ponit (D. 39, 4, 4): «de rebus, quas in usus aduehendas *sibi* mandant praesides, diuus Adrianus praesidibus rescipsit», resolue *aduehendas sibi*, id est adueherentur *sibi*, pro *eis*.

46^a ratio a Papiniano.

[138] Papinianus in *l. Donationes*, § *Species*, ff. *De dona.*, idem facit ibi (D. 39, 5, 31): «quod uir cauisset extra dotem usibus puellae *sibi* traditas», id est quod *traditae sibi*, pro *ei*, essent.

47^o ratio a Iuliano.

[139] Iulianus in *l. Mortis causa capimus*, in principio, ff. *De donationibus causa mortis* manifestius *sibi* pro *ipsi* *ei*que intelligit et hic resolutiones factae ante oculos collocantur (D. 39, 6, 18): «Mortis causa capimus non tunc solum, cum quis suae mortis causa nobis donat, sed et si propter alterius mortem id faciat: ueluti siquis pro filio uel fratre suo moriente donet Maeuio ea condicione, ut, si conualuerit alter uter eorum, reddatur *sibi* res, si decesserit, maneat apud Maeuium», hic enim clarissime *sibi* pro *ei* surrogatur.

48^a ratio ex Vlpiano.

[140] Idem in *l. I*, § *I*, ff. *De uerb. obligat.*, ab Vlpiano fit (D. 45, 1, 1, 1): «Qui praesens interrogauit, si antequam responderetur *sibi*, mox discessit, inutilem efficit stipulationem», nam, resolutione facta, de passiuo in actiuum, id est *antequam quis alter responderet sibi*, palam est *sibi* pro *ei* *ipsi*que substitere.

49^a ratio a Pomponio.

[141] Quod et de Pomponio in *l. Si diuortio*, in principio, ff. eodem: «Si diuortio facto ea quae nihil in dotem habeat, dotis nomine centum dari *sibi* stipuletur». (2) Nam et hoc ex Paulo in *l. Sed si ex stipulatu*, eodem titulo, ponendo *eum* proprie ubi *se* improprie ponere potuisset, est apertum: «Sed si ex stipulatu Sticum debeat pupillus, non uidebitur per eum mora fieri, ut eo mortuo teneatur, nisi tutore, auctore, aut solus tutor interpelletur». (3) Item ex Vlpiano in *l. Stipulatio ista*, § *Hi qui*, ff. eodem, ibi: «Si seruus stipuletur *sibi* habere licere». Et infra: «quamuis auferri res *ei* et ipse auferre eandem possit» (D. 45, 1, 21; D. 45, 1, 24; D. 45, 1, 38, 6).

50^a ratio a Scaeuola.

[142] Insuper a Scaeuola in *l. Iulianus* § *I*, ff. eodem (D. 45, 1, 31): «Qui fundum *sibi* aut Ticio dari stipulatur, quamuis fundus Ticio traditus sit, nihilominus petere fundum potest, ut *sibi* de euictione promittatur.»

51^a ratio a Florentio.

[143] Praeterea a Florentio in *l. Siue mihi*, ff. *De stipulat. Seruorum* (D. 45, 3, 15): «Siue mihi, siue *sibi*, siue conseruo suo, siue impersonaliter, dari seruus meus stipuletur, mihi adquiret.»

52^a a Pomponio.

[144] Et a Pomponio in *l. Si seruus communis meus*, § *I*, eodem titulo (D. 45, 3, 18): «Si seruus Ticii et Maeuii partem, quae Maeuii est, *sibi* dari stipulatur, nulla stipulatio est.»

53^a a Paulo.

[145] Posthac et a Paulo in *l. Fideiussores, § I, ff. De fideius., ibi* (D. 46, 1, 68): «Bona Romuli fiscus occupauerat ut obligata sibi», id est *quae obligata fuerant sibi, pro ei uel ipsi, scilicet fisco.*

54^a ratio a Paulo eodem.

[146] Deinceps et ab eodem Paulo in *l. Vrannius, § penultimo, ff. eodem* (D. 46, 1, 71): «Si ponamus unum ex reis promittendi peractum esse, ne a se peteretur», id est, *ne creditor a se, pro ab eo, scilicet uno ex reis, promittendi peteret.* Quod et Paulus in *l. Cui recte soluitur, ff. De nouat., prae se fert* (D. 46, 2, 10): «Cui recte soluitur, is etiam nouare potest, excepto eo, si mihi aut Ticio stipulatus sim, nam Ticius nouare non potest, licet ei recte soluat».

55^a ratio a Celso.

[147] Ad haec Celsus in *l. Si is cui, ff. eodem, nostram intentionem confirmat, sibi pro ei accipiendo, quod reserat resolutio* (D. 46, 2, 26): «Si is cui X Titius XV Seius debebat, a Titio stipulatus est quod ille aut ille debeat, dari sibi nouatum utrunque non est.» *Dari sibi, id est ipse Titius daret sibi, pro ei, scilicet creditori.*

56^a a Iuliano

[148] Consequenter Iulianus in *l. Qui sibi aut Ticio, § I, ff. De solut. saepenumero a se pro ab ipso constituit, ut per resolutionem perspici possit* (D. 46, 3, 33): «Qui Sticum aut Pamphilum dare promisit, si Sticum uulnerauerit, non magis eum dando liberatur, quam si Sticum solum promississet et a se uulneratum daret. Idem qui hominem dare promisit et uulneratum a se offerret, non liberabitur. Iudicio quoque accepto, si hominem is cum quo ageretur uulneratum a se offert, condemnari debet».

57^a a Alpheno.

[149] Alphenus uero in *l. Quod seruus, ff. eodem, resoluendo manifestum facit* (D. 46, 3, 35): «Quod seruus ex peculio suo credidisset aut deposuisset, id ei siue uenisset, siue manumissus esset, recte solui potest». Nam *sibi recte solui potest, siue uenisset, siue manumissus esset, scribere potuisset.*

58^a ratio ab Africano.

[150] Id quod Africanus in *l. Cum quis, eodem titulo, efficit* (D. 46, 3, 38): «cum quis sibi aut Ticio dari stipulatus sit» et cetera.

59^a a Marcello.

[151] Et Marcellus in *l. Qui X debet, § I, eodem titulo* (D. 46, 3, 72): «siquis cum surreptus sibi seruus esset, sub condicione stipulatus fuit». Et infra: «si dominus oblatum sibi accipere noluit».

60^a a Proculo.

[152] Proculus in *l. Si cum Cornelius, eodem titulo, apertiora reddit, quae latissime sunt probata, nam et secundum resolutionem sibi pro ei supposuit* (D. 46, 3, 82): «Si cum Cornelius fundum suum nomine Seiae uiro eius doti dedisset nec de eo sibi reddendo quicquam cauisset», et cetera. Quae resolutio et per legem *Hoc iure utimur, eodem titulo, declaratur* (D. 46, 3, 86).

61^a ratio a Scaeuola auctoritate firmatur.

[153] Scaeuola in *l. Si duo rei, in principio, eodem titulo, perapertius nostrum confirmat demonstratque intentum* (D. 46, 3, 93): «Quod, si intendat dari sibi oportere, uel ideo intendat dari oportere ipsi, quod heres extiterit, uel ideo, quid proprio nomine ei deberetur».

62^a et postrema ratio a Pauli auctoritate.

[154] Postremo Paulus in *l. Quaero an curatoribus, in fine, eodem titulo, tot et tam ampla fundamenta iuat* (D. 46, 3, 100): «nisi specialiter tutores prouincialium rerum, ut sibi res Romae soluerentur, promitti curauerunt».

Conclusio ex omnibus LXII illata rationibus.

[155] Cum igitur non modo per regulas et praecepta Prisciani et commentatoris antiqui nouique Petrique Heliae et Laurentii Vallensis, his in rebus peritissimi, sed etiam summorum auctorum, praesertim iurisconsultorum nostrorum, auctoritate tritissimaque consuetudine, demonstratum est *sui* et *sibi* saepe ut plurimum reciproce proprieque locari, et non modo quandoque, sed etiam saepenumero retransitiue improprie pro *eius*, *ipsius* et *illius* surrogari, in re de qua agitur dubitandum non est et multo minus corrigendum.

[156] Quas ob res, peritissimi uiri, ab omni dubitatione, praesertim reprehensione de eo: quod *sibi* pro *ei ipsius* subiecerim, abstinere uelitis.⁶ Id enim fretus doctrina consuetudineque doctissima tot tantorumque uirorum feci. Iccirco me non errasse puto. (2) Et, siqua possim, statuite quippe cum ad morem gerendum cum uoluptatis magnitudine accintus apparatusque existam.

Ex Barcinona Kalendis Septembris anno MCCCCLXXV^o.

⁶ *Petitio*. Petitio, quae quarta pars in epistola est et post narratione collocari solet. Nam in epistola quinque partes sunt, scilicet salutatio, exordium, narratio, petitio et conclusio. (narratio *coni.* : *om. cod*).